This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 252 450
751hr
W42
YB00207


LIBRARY
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
LET THERE BE LIGHT
UNIVERSITY OF CALIFORNIA
ORGANIZED 1868
JANE K. SATHER
LIBRARY FUND.
CLASS

QUAESTIONES CAECILIANAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXXI. M. JULII A. MDCCCLXXXVIII

PUBLICE DEFENDIT

AUCTOR

RICARDUS WEISE

RHENANUS.

ADVERSARII ERUNT:

M. GOEPEL CAND. PHIL.

W. SCHMIDTHENNER STUD. PHIL.

P. RAWACK Dd. PHIL.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

BEROLINI 1888.

APUD MAYERUM & MUELLERUM.

ВИТЯЗЬ

HERMANNO DIELSIO

V. C.

SACRUM.

196313

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY
OF
CALIFORNIA

Quaestiones Caecilianae.

Prolegomena.

Ex quo tempore Romani fines Italiae transgressi orientis quoque terras coeperunt facere suae potestatis, fieri non potuit, quin paulatim prisca eorum ingenii morumque asperitas Graecae humanitatis amore imbueretur. Nam et Romani diu versati in illis regionibus, quae Alexandrina Pergamenaque doctrina illa nobilissima velut perfusae erant, adamatam inde Graeciae elegantiam domum rettulerunt et Graeci homines doctrina et artibus exculti Romam petiverunt, ut adulescentulos sua disciplina initiarent. Neque vero eloquentia quamvis haud aliena a Romanorum indole[1]) lumen Graecae eruditionis refugit: quin etiam tanta vi tantaque cupiditate rhetorica studia arripuit, ut contentio illa inter rhetores de optimo dicendi genere habita, cum alii Asianum loquendi morem maxime tum regnantem laudarent, alii Atticos oratores imitandos proponerent, Romae atque inter Romanc. oratores primum exoriretur et ab his ad finem perduceretur.[2]) Viceruntautem qui Atticorum sermonem praeferendum esse putarent velut Cicero et multo acrius Calvus; quorum vestigia sectati etiam Graeci, fracto Asiano tumore, quae orbis terrarum dominis placuit imitationem Attici dicendi generis susceperunt.

[1]) cf. Cic. Tusc. disp. I. cap. 3; de orat. I. 4, 14.

[2]) cf. Blass, *Geschichte der griech. Beredsamkeit v. Alex. bis auf Augustus. Berl.* 1863. pag. 123.

At quo tempore initium ceperit sermonis illa inter Graecos rhetores commutatio, unde originem duxerit Atticismus ille qui vocatur, alio fortasse loco fusius exponere licebit: nunc acquiescendum est in Atticismi studiis fere excultis et perfectis [1]) a duobus viris doctissimis Dionysio Halicarnassensi et Caecilio Calactino, quorum alterius magna pars scriptorum est superstes, alterius, etsi opera eius temporum iniquitate erepta sunt, tamen satis multa exstant fragmenta,[2]) e quibus quae fuerit ratio docendi eius perspicere liceat. Atque Wilamowitzius quidem Atticismi originem perducere studet ad Apollodorum Pergamenum,[3]) quo magistro utebatur ipse Augustus (Suet. Aug. 89); fortissimum deinde, doctissimum, acerrimum propugnatorem doctrinae illius („*der Stimmführer auf diesem Gebiete*") exstitisse Caecilium Apollodori discipulum. De Dionysio autem quid senserit vir doctissimus e verbis initio adnotationis eius positis elucet, quae, cum ad ea postea recurrendum sit, omnia appono: „*Der Classicismus, den schon seine Begründer als ein Symptom der Bildung eines einheitlichen, römisch-hellenischen Weltreichs auffassten und der sich allerdings nicht bloss in der Litteratur, sondern ebenso in den bildenden Künsten nur in Rom entwickeln konnte, ist gleichwohl nicht eine Folge, sondern ein Vorbote der caesarischen Weltmonarchie. Dionysius, für uns freilich sein wichtigster Vertreter, fand ihn schon vor, als er nach Rom kam, ist allerdings auch nicht der Mann eigene schöpferische Ideen zu haben. Wer ihn für älter als Caecilius hält, versteht die stilistische Umwälzung gar nicht. Gerade Dionys' Thucydideische Schriften zeugen einmal, dass ihnen schon*

[1]) cf. Dionys. Halic. de ant. oratt. praef. cap. 2. pag. 447 sqq. ed. Reiskianae; Schmid, der Atticismus. pag. 6. (Stuttg. 1887).

[2]) coll. Th. Burckhardt. (Caec. rhetoris fragmenta. diss. inaug. Basil. 1862).

[3]) Herm. XII (1877) pag. 312 adnot.; iam ante Apollodorum Pergamenum floruisse Pergami rhetorum studia, quae pertinerent ad Atticos, evincere studuit Brzoska in libello, qui inscribitur de canone decem oratorum, Vratist. 1883. diss. (v. infra. pag. 26); impugnavit novissime Wilamowitzii sententiam E. Rhode. N. Rh. Mus. 1886 p. 175 sqq. adn., qui Athenis Atticismi fontes latere censet.

fertige aesthetische Arbeiten vorlagen, (z. B. ist es doch offenbar, dass er im 2. Brief an Ammaeus ein Verzeichnis von γλῶσσαι Θουκυδίδειοι anzieht), zweitens, dass er schon gegen die Ultras im eigenen Lager angehen muss." Quam Wilamowitzii sententiam secutus est Muellerus;[1]) qui praeter hos viros doctos studia illorum rhetorum attigerunt aut de aetatis discrimine et de ratione, quae inter eos intercederet, nihil attulerunt aut antecessise Dionysium Caecilio contenderunt, ut Burckhardtius,[2]) Ballheimerus.[3]) Martensius,[4]) Volkmannus.[5])

Neque vero hi viri causas attulerunt, quibus sententias probarent, et adhuc in media relicta est controversia subtilis sane atque spinosa neque tamen indigna, quae accurate pertractetur, si quidem hominis philologi est singula, quamvis videantur parva, diligenter perquirere, quippequibus cognitis subductisque connexui ceterarum rerum universi cognitio magis magisque clarescat. Quare non recuso suscipere illam quaestionem de aetatis Caecilii atque Dionysii discrimine neque reformido difficultates illas, in quas me incursurum esse non me fugit.

Quid enim? de aetate Dionysii et Caecilii nobis perquirentibus quem prosperum eventum, quem certum fructum incepto nostro eventurum esse speremus, cum de vitae temporibus hominum illorum ab antiquis fere nihil traditum sit? quibus sane vel alterius constitutis tota quaestio firmioribus consisteret fundamentis. Nam quae viri docti concluserunt,[6])

---

[1]) J. Mueller, de figuris quaestt., diss. Gryphisw. 1880 pag. 6 adn. 1.

[2]) l. l. pag. 5.

[3]) R. Ballheimer, de Photii vitis X oratorum, Bonn. 1877. pag. 32 adn. 1.

[4]) L. Martens, de libello π. ὕψους. Bonn. 1877. pag. 6; 32.

[5]) R. Volkmann, „*Rhetorik der Griech. und Römer*" in Jw. Muelleri compendio litt. class. vol. II. pag. 459.

[6]) inprimis Dodwellius de vita Dionysii accuratam quaestionem habuit praemissam Dionysii editioni Reiskianae; cuius disputationis summam repetivit Blassius, Gr. Bereds. pag. 170. Scripserunt ante Blassium Busseus, de Dionys. Hal. vita et ingenio, Berol. 1841 et Weissmannus, de Dionys. Hal. vita et scriptis, Rinteln 1857.

Dionysium sub annum 55. vel 60 a. Chr. natum esse testimonio usi ipsius scriptoris, quo se Romam sub mediam olympiadem 187 (= a. Chr. 30/29) venisse confirmat[1]) et inde ab hoc tempore viginti duos annos in Historia Romana sub a. 7. a. Chr. edita componenda consumpsisse,[2]) ab ipsis illis non pro certo habentur neque quidquam afferri potest, unde, quo anno scriptor mortuus sit, accurate constituamus; hoc tantum constat floruisse Dionysium Augusto imperante[3]) annis 30—7 a. Chr. Neque de Caecilio certi quidquam accepimus nisi et ipsum Romae temporibus Augusti imperatoris docuisse et aequalem fuisse Hermagorae et Timagenis Suidas nonnullis locis testatur,[4]) quibus verbis Suidanis ex parte gravissimis vitiis depravatis accedit ipsius Dionysii testimonium, quo se cum Caecilio amicitia coniunctum esse dicit.[5]) Quibus omnibus iudiciis cum non colligi possit, uter aetate inferior sit habendus, unum restat, ut scripta fragmentaque eorum diligenter excutiamus, quibus explicatis cum aliae causae tum varia forsitan docendi ratio eluceat, unde quae sint discrimina inter viros illos possit evinci.

Inter scripta rhetorica Dionysii ordinem quendam constituere studuerunt Blassius[6]) deinde Roesslerus[7]) in singulis quibusdam a Blassio dissentiens: qui ordines quamvis semper sint respiciendi, tamen, cum epistulae ad Ammaeum I., quam ordinis sui primo loco posuit uterque, certus, quo scripta sit, annus definiri non possit, nulla ansa datur inde in Caecilii fragmenta investigandi. Quare mihi alia ratio quaestionis placet. Nam quam Blassius adhibuit scriptorum Dionysii divisionem,[8]) qua discrevit inter ea, quorum argumentum

[1]) Dionys. Archaeolog. I. cap. 7.
[2]) Archaeolog. I. cap. 8.
[3]) Suid. s. v. Διονύσιος: „γέγονε δὲ ἐπὶ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ."
[4]) Suid. s. v. v. Καικίλιος, Τιμαγένης, Ἑρμαγόρας.
[5]) Epist. ad Cn. Pomp. pag. 771 Reisk.: „περὶ οὗπερ Καικίλιος.
[6]) Blass, de Dionys. Hal. scriptis rhetoricis. Bonn. 1863.
[7]) Roessler, Dionysii Hal. scriptorum rhetoricorum fragmenta. Lips. 1867.
[8]) Blass, de script. rhetor. pag. 7.

magis rhetoricum et quorum sit criticum magis et philologum, cum meliore etiam iure ad Caecilii scripta pertinere videretur, mihi sequendam proposui ita, ut in utriusque scriptoris docendi rationes inquirens primo loco tractarem scripta, quae ad artem maxime spectant rhetoricam, a Caecilii fragmentis exorsus.

I.

Caecilium peculiarem scripsisse Artem rhetoricam cum ex fragmentis quibusdam tum ex Suidae s. v. testimonio procul dubio apparet. Atque exstat etiam de studiis eius rhetoricis Quintiliani testimonium, inst. or. III, 1, 16: „Multa post (sc. Hermagoram scripsit) Apollonius Molon, multa Areus, multa Caecilius et Halicarnassensis Dionysius: quae verba latius patent neque ad τέχνην solum, sed ad omnia scripta, quae oratorium munus prae se ferunt, Caecilii et Dionysii referenda sunt. Eodemque modo, quo hoc loco Caecilius nominatur una cum Dionysio, ita postea quoque utrumque refert inter eos, qui de figuris peculiares libros scripserint, Quintilianus IX, 3, 89: „Haec omnia copiosius sunt executi, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut Caecilius, Dionysius, Rutilius, Cornificius, Visellius.“ Neque vero aetatis seriem in citandis scriptoribus servasse videtur Quintilianus, cum in duobus illis locis Caecilii nomen Dionysio anteposuerit, utpote qui vel Cornificium inter Rutilium et Visellium collocaverit aetate multo inferiores, nec non Graecorum scriptorum ordinem mutavisse videatur, si forte sub Rutilii persona Gorgias rhetor sit intelligendus, cuius quattuor libros Rutilium in unum suum[1]) transtulisse Quintilianus paulo ante (IX, 2, 102) testatus est. Is enim, quem Athenis M. Ciceronis magistrum

[1]) Non infeliciter mihi Muellerus l. l. pag. 2. adn. coniecisse videtur: „in usum suum transtulit,“ pro lectione codd: „in unum suum tr.“ cum nobis Gorgiae vel Rutilii duo libri essent servati verborum figuras continentes et si Gorgiae libros contraxisset Rutilius, verbum „transtulit“ parum esse videretur aptum. Quid denique sibi vult illud „suum“ vocabulo „unum“ adiectum?

fuisse constat. (s. a. 44), Dionysio certe maior natu ideoque illi erat anteponendus. Sed alter restat locus Quintilianeus, quo nixus Muellerus l. l. probavisse sibi videtur Caecilium Dionysio antecessisse. Nam postquam rhetor IX, 1, 10 de eorum sententia disseruit, qui qualemcunque sermonis flexum et habitum figuram nominarent neque id solum, quod proprie schema appellaretur, haec addit verba: „Quare intellectu priore et communi nihil non figuratum est. Quo si contenti sumus, non immerito Appollodorus, si tradenti Caecilio credimus, incomprehensibilia partis huius praecepta existimavit (IX, 1, 12).“ Quocum loco collatis verbis inst. or. III, 1, 18: „Apollodori praecepta magis ex discipulis cognoscas“ cum alii viri concluserunt Caecilium fuisse Apollodori discipulum[1]) — (ac recte quidem eos id coniecisse postea aliis causis confirmabo) — tum Muellerus his verbis fretus hancce superstruxit argumentationem: „Quod, inquit, si ita est, cum Apollodorum grandem natu ab Octaviano Apolloniam deductum esse Suetonius testetur (Aug. 89), quin Caecilius eius disciplina circa medium saeculum a. Chr. primum usus sit nemo facile dubitat.“ Quo tempore autem Augustus Apollodorum secum duxerit, certo scimus; factum enim est illud anno u. c. 710 = 44 a. Chr. ineunte, cum Caesar post receptas Hispanias expeditionem in Dacos Parthosque parabat.[2]) Quare sane acuta esset comprobatio Muelleri, qua Dionysium aetate Caecilio inferiorem fuisse contendit, si ante annum 44. a. Chr. Caecilium discipulum fuisse Apollodori necesse esset credere, cum Dionysium sub annum 30. a. Chr. Romam venisse constet sitque verisimile eum scripta sua Romae composuisse, cum nomina eorum, quibus dedicavit, Romanam prae se ferant originem.[3]) At etiam post hunc annum Apollodorum docuisse constat; patet hoc inde quod M. Seneca rhetorem inter homines magni in

[1]) Burckhardt. l. l. p. 5; Wilamowitz. l. l. Brzoska pagg. 56; 80; dubius haeret Blassius, Gr. Bereds. pag. 175.

[2]) Vellei. Paterculus II, c. 59, 4. Appian. bell. civ. III, c. 25. Florus IV, c. 2, 94; Plut. Brut. 22. Dio Cass. XLV c. 3. cf. Piderit, de Apollodoro Pergameno et Theodoro Gadarensi. Marburg 1842; pag. 6.

[3]) velut Aelius Tubero, Melitius Rufus, Cn. Pompeius. cf. etiam praefat. Dionys. comm. de ant. oratt. c. 3.

eloquentia nominis rettulisse est putandus, quos ipse audivisset. Verum hic dum bellorum civilium furor orbem terrarum pervagatur intra coloniam suam Cordubam se continuit: quo factum est, ut ne Ciceronem quidem audire posset.[1]) Quod si anno 44. a. Chr. Apollodorus grandis erat natu, hoc est fere sexagenarius, ad octoginta autem et duo annos eum vitam produxisse traditur[2]), Dionysium ipsum invenisse[3]) eum vivum adhuc et docentem satis probabile est. Cumque eodem iure, quo ante, ita etiam post annum 44. a. Chr. Caecilium Apollodori declamationibus interfuisse putare possimus, — quibus studiis rhetoricis qui favebant, pueri plerumque rhetori se instituendos dabant[4]) — vides quam infirmis fundamentis ratio consistat Muelleri, cum Dionysium, quem ad aetatem virilem iam provectum Romam se contulisse verisimile est, Caecilio aetate inferiorem fuisse contendat.

Mittamus igitur coniecturas istas incertorum temporum substructioni impositas: iam ad Caecilii fragmenta mere rhetorica accuratius tractanda accedamus.

---

[1]) Seneca, Controv. I. praef. § 11, pag. 61 ed. Kiesslingii: „Omnes" autem magni in eloquentia nominis excepto Cicerone videor audisse: ne Ciceronem quidem aetas mihi eripuerat, sed bellorum civilium furor, qui hunc orbem totum pervagabatur, intra coloniam meam me continuit cf. Piderit l. l. pag. 11.

[2]) (Luc.) Macrobioi 23: „*Ἀπολλόδωρος δὲ ὁ Περγαμηνὸς ῥήτωρ, θεοῦ Καίσαρος σεβαστοῦ διδάσκαλος . . . ἔζησε ἔτη ὀγδοήκοντα δύο.*

[3]) Fuerunt, qui dicerent Apollodorum Massiliam se contulisse et ibi mortem obiisse, testimonio usi Senecae loco Contr. libr. II. 5 (12), 13: „Novi declamatores pos mos cum (codd. BTV; post nos cum A.) Apollodoro (TV; apollodorum C.), qui reus veneficii fuit et a Pollione Asinio defensus damnatus Massiliae docuit et. q. s." coniungentes verba „pos-mos" et „cum Apollodoro." In corruptela „posmos" latere nomen Moschi, quem veneficii reum a Pollione defensum esse scimus (Porphyrio ad Hor. ep. I, 5, 9) iam Piderius l. l. pag. 14 adn. (cf. pag. 13) suspicatus est; at coniungendum „mos-cum" et cum Teuffeli (Pauly, Realencycl. I² 1862), Haasii, Buecheleri, Kiesslingii, (p. 210) H. Muelleri (Vind. 1877. p. 169) ex optimorum codd. recensione emendandum esse: „Novi declamatores pos Moschum Apollodorcum et q. s." luce clarius est. Quare quin Apollodorum Romae usque ad mortem vixisse putemus, nihil est quod impediat. Mortis annum Apollodori Piderius l. l. definit ad a. u. c. 732 = 22 a. Chr.

[4]) cf. Quint. II, 8, 1.

Ad artem Caecilii, quam supra memoravimus[1]), optimo iure Burckhardtius rettulit locos Quintilianeos III, 6, 48 et V, 10, 17. (Burckh. frgg. 49. 50.) Ac primo quidem loco traditur Caecilium quattuor docuisse status: An sit? quid sit? quale sit? quantum sit? Versantem igitur Caecilium conspicimus in difficillima illa statuum doctrina, cui excolendae post Hermagoram admodum operam dedisse accepimus Apollodorum Pergamenum et Theodorum Gadarensem. Nam Apollodorus duos posuit status generales, quorum alter „esset in rebus positis, quibus coniectura explicatur, aut in nostris opinionibus (*πραγματικὸν καὶ περὶ ἐννοίας*)“: qua in duplici divisione congruebat cum adversario suo Theodoro, qui et ipse duos status primarios[2]) esse volebat. (Quint. III, 6. 55 seq.), cum de eo quaereretur, an sit? et de accidentibus (*περὶ οὐσίας καὶ συμβεβηκότων*). Uterque igitur retinuit priorem statum coniecturae: alterum autem iterum dividebat Apollodorus in duas partes, qualitatem et finitivum, Theodorus in quattuor quid sit? quale sit? quantum sit? ad aliquid? Itaque cum Apollodorus omnino status tres, Theodorus quinque probasset, Caecilius mediam viam ingressus soluta, ut videtur, priore divisione, quantitatis statum Apollodoreis addidit, relationis illum Theodori repudiavit.[3])

Alterum Quintiliani testimonium V, 10, 17, docet, quid Caecilius *ἀπόδειξιν* esse voluerit: „*Ἀπόδειξις* est evidens probatio ideoque apud geometras *γραμμικαὶ ἀποδείξεις* dicuntur. Hanc et ab epichiremate Caecilius putat differre solo genere conclusionis et esse apodixin imperfectum epichirema eadem causa, qua diximus enthymema syllogismo distare.“ (Burckh. frg. 50).[4]) Quomodo autem distet enthymema a syllogismo

---

[1]) Egit Caecilius fortasse in hoc libro „*περὶ τῶν μεθόδων, αἳ γυμνάζουσιν ἡμᾶς εἰς τὰ μέρη τοῦ πολιτικοῦ λόγου.*“ cf. schol. in Hermog. *στασ.*, Walz, rhett. IV. p. 59 = Burckh. frg. 48.

[2]) *τὰ κεφαλαια γενικωτατα.*

[3]) cf. Burckh. l. l. pag. 22.

[4]) Omisi, quae in codicibus post „distare“ sequuntur verba: „nam et epichirema pars syllogismi est.“ Nam aut epichirema idem est quod syllogismus: tum syllogismi pars esse non potest; si vero pars syllogismi

Quintilianus cum initio capitis 10.,[1]) tum accuratius V. 14, 24 exponit ita: „enthymema ab aliis oratorius syllogismus, ab aliis pars dicitur syllogismi, proptera quod syllogismus utique conclusionem et propositionem habet et per omnes partes efficit quod proposuit, enthymema tantum intellegi contentum sit.“ De epichiremate autem haec habet V. 14, 14: „epichirema nullo differt a syllogismis, nisi quod illi et plures habeant species et vera colligunt veris, epichirematis frequentior circa credibilia est usus.[2]) Quae definitiones si ad Caecilii sententiam explicandam adhibendae sunt, efficitur, ut apodixis, quae est imperfectum epichirema, re sit idem quod enthymema, quod imperfectus syllogismus est, — id quod etiam Burckhardtius animadvertit,[3]) sed cum apodixis et enthymema eodem reverti videantur, num utrumque plane idem an differentiam quandam interesse statuisset Caecilius, se non potuisse enucleare confitetur. Quod discrimen mea quidem sententia in eo consistit, quod (cum opponantur inter se syllogismus et epichirema,

est, nihil aliud esse potest nisi enthymema quod „unum intellectum habet, quo significat omnia mente concepta, alterum, quo sententiam cum ratione, tertium, quo certam quandam conclusionem vel ex consequentibus vel ex repugnantibus (Quint. V, 10, 1). Quod si epichirema congrueret cum enthymemate, quod semper partem syllogismi esse videmus, esset apodixis imperfectum epichirema, quod et ipsum imperfectus esset syllogismus: quae si ita sunt, quomodo Caecilii apodixis, quae genere conclusionis atque eodem modo, quo enthymema a syllogismo, distat ab epichiremate, explicanda sit, fateor me ignorare. Quidmulta? nullo modo Caecilii sententiam exponere poteris nisi statueris epichirema esse perfectum syllogismum in rhetoricis maxime usitatum: quo concesso inepta illa verba esse videntur. Quare miror quod Halmius (edit. Lps. 1867) et Bonnellius (ed. Lps. 1882) nihil in his verbis offenderunt atque iure scripsisse puto Spaldingium (ed. Lps. 1803. vol. II) Vascosanum secutum: „Nam et enthymema pars syllogismi est.“

[1]) V. 10, 3: hunc alii rhetoricum syllogismum alii imperfectum syllogismum vocaverunt, quia nec distinctis nec totidem partibus concluderetur.

[2]) cf. V. 10, 5: Aliis videtur non destinatam vel inchoatam sed perfectam probationem hoc nomen accipere et ultimam speciem, ideoque propria eius appellatio et maxime in usu est posita, qua significatur certa quaedam sententiae comprehensio, quae ex tribus minimum partibus constat.

[3]) l. l. pag. 22. 23.

apodixis et enthymema) Caecilius accurate distinxit inter nomina illa ita, ut enthymematos et syllogismi voces ex terminologia rhetorica removeret neque admittendas esse censeret nisi in quaestionibus mere philosophis et dialecticis, in rebus rhetoricis autem, in quibus frequentior circa credibilia sit usus, sola epichirematis (pro syllogismo) et apodixeos (pro enthymemate) adhiberet nomina. Acerrima sane et molesta subtilitas in nominibus distinguendis! quam tamen Caecilii ingenio fuisse acceptissimam non uno exemplo apparebit, si quae de figuris libelli exstant fragmenta erimus perscrutati.

Atque recte quidem Caecilius initio libelli de figuris scripti nimis angustam Zoili definitionem reprehenderat „qui hoc solum putaverat schema, quo aliud simulatur dici quam dicitur (Quint. IX, 1, 14).[1]) Sed quam ipse profert definitionem[2]) contrario vitio laborare videtur, quia nimis latos fines constituit, quibus ingentem et vix tolerandam figurarum multitudinem comprehendisse eum ex paucis illis quae nobis a Tiberio, Alexandro, Quintiliano servata sunt fragmentis satis elucet. Nam non modo hyperbaton, quod suo iure Quintilianus ponit in tropis,[3]) cum virtutem quandam efficiat orationis,[4]) inter figuras enumeravisse Caecilius traditur, quin etiam levissimas et minimas sermonis particulas paululum a simplicissimo loquendi usu atque adeo a severis grammaticae regulis recedentes, — id quod saepissime casu quodam neque loquentium vel scribentium arte et consilio fit — eum figuras putasse atque nominibus propriis notasse exemplis *ἀλλοιώσεως*[5]),

[1]) Idem de Zoili definitione iudicium cum eodem modo quo apud Quintilianum appareat in Phoebammonis libro *π. σχημάτων*, quorum uterque scriptor certe inspexit Caecilium ad hunc locum, iure concludemus ex Caecilio illa verba de Zoilo esse deprompta.

[2]) Burckh. frg. 41 = Phoebamm. *π. σχ.* rhett. gr. ed. Walz VIII. 494 (III. 44 Spengel.): *Καικίλιος δὲ ὁ Καλακτίτης* (codd. *καλανδίτης*) *ὡρίσατο οὕτω: σχῆμά ἐστι τροπὴ εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸ τῆς διανοίας καὶ λέξεως.* cf. Quint. IX, 1, 10 (Burckh. frg. 42).

[3]) Quint. IX, 3, 91 (Burckh. frg. 36.)

[4]) Quint. VIII, 6, 62.

[5]) Burckh. frg. 33. = Tiber. *π. σχημ.* VIII, 573 Walz (III, 80, 47 Speng.): *Καὶ τὸ ἀλλοιώσεως σχῆμα εἰσάγει ὁ Καικίλιος καί φησιν*

παρεμβολῆς[1]), aliarum Caecilii figurarum[2]) satis comprobatur. Atque etiam in usitatis figuris distinxisse videtur Caecilius varias species, quibus et ipsis propria nomina attribuit, si quidem figura illa quam vocat μεταβολὴν nihil aliud est nisi anaphora variata atque iterata.[3]) Παλιλλογίαν autem nominabat Caecilius figuram ab aliis appellatam usitatiore nomine ἀναδίπλωσιν vel ἐπανάληψιν[4]): quibus denominationibus quin in sermonis particulis paulo aliter iteratis usus sit non dubito, quoniam subtilissimum discrimen fecisse eum conspicimus inter συνωνυμίαν[5]) et πλεονασμόν.[6]) Suo autem iure Quintili-

αὐτὴν γίνεσθαι κατ' ὄνομα καὶ πτώσεις καὶ ἀριθμοὺς καὶ πρόσωπα καὶ χρόνους. καὶ ὀνόματα μὲν ἀλλοιοῦσιν ἀντὶ τοῦ ἄρσενος τὸ θῆλυ ἢ τὸ οὐδέτερον παραλαμβάνοντες ἢ τῷ ἀρρένι ἀντὶ ἀμφοῖν χρώμενοι κ. τ. λ.

[1]) Burckh. frg. 34 Tib. π. σχημ. VIII, 577. Walz (III, 81,48 Speng.): Καὶ τὴν παρεμβολὴν εἰςάγει ὁ Καικίλιος σχῆμα λέξεως, κέχρηται δὲ παραδείγματι τῷ παρὰ Θουκυδίδῃ: „οἱ δὲ Κορίνθιοι προσκαθεζόμενοι (ἔστι δὲ ἰσθμὸς τὸ χωρίον) ἐπολιόρκουν τὴν πόλιν.“ Sequuntur similia exempla ex Herodoto et Euripide sumpta.

[2]) v. σχῆμα ἐπανόδου: Burckh. fr. 31 = Tib. π. σχημ. VIII. 572 Walz (III. 80, 45 Speng.) et ἀφαιρέσεως: Burckh. frg. 32. Tib. π. σχημ. ibid.

[3]) Burckh. frg. 35 = Quint. IX, 3, 38: hanc rerum coniunctam diversitatem Caecilius μεταβολὴν vocat. qualis est pro Cluentio locus in Oppianicum (cap. 14. § 41): illum tabulas publicas — corrupisse; — cum illo iam nemo rationem contrahebat, nemo illum — nemo illum — nemo; omnes aspernabantur, omnes abhorrebant etc. Cui exemplo latino Caecilii graecum simillimum fuisse necesse est.

[4]) Burckh. frg. 37 a = Tib. π. σχημ. VIII, 554 Walz (III, 71,5 Speng.): τὴν μέντοι ἐπανάληψιν παλιλλογίαν ὁ Καικίλιος ὀνομάζει οἷον: μιαρὸν, μιαρὸν τὸ θηρίον. cf. frg. 37 b = Alex. π. σχημ. VIII, 463 Walz (III, 29,5 Speng.) τοῦτο τὸ σχῆμα ὁ μὲν Καικίλιος (codd. καρκῖνος) παλιλλογίαν καλεῖ, ἔνιοι δὲ ἀναδίπλωσιν, οἱ δὲ ἐπανάληψιν.

[5]) Burckh. frg. 38 a = Tib. π. σχ. VIII. 563 Walz (III, 75,15 Speng.): συνωνυμίαν ὀνομάζει τὸ σχῆμα (sc. πλεονασμόν) Καικίλιος, ὅταν κατὰ τοῦ αὐτοῦ πράγματος ἢ (ὡς Finckh.) κατὰ τοῦ προκειμένου δύο λέξεις γεννηθῶσι cf. frg. 38 b = Alex. π. σχημ. VIII. 465 Walz (III. 30, 14 Speng.)

[6]) Burckh. fr. 39 = Quint IX. 3, 45: hoc Caecilio πλεονασμὸς videtur id est abundans super necessitatem oratio sicut illa: „Vidi oculos ante ipse meos.“ In illo enim „vidi“ inest „ipse.“

anus reprehendit Caecilium quod vocem πλεονασμὸν parum apte invenisset ad signandam unam atque certam figuram: nam et geminationem et repetionem et qualemcunque adiectionem πλεονασμὸν videri posse. (IX. 3. 45.)

Quodsi in rhetoricis sriptis Caecilium videmus gaudentem sterilibus notionum divisionibus, versantem in aridissimis rerum distinctionibus, quis est qui in affectata eius subtilitate non agnoscat doctrinae Apollodoreae vestigia? Nam antiquorum testimonia perquirentes si cognoscere studemus, quibus tandem studiis rhetoricis tantam gloriae famam sibi paraverit Apollodorus, in eo eum maxime floruisse apparebit quod Stoicorum atque Hermagorae in definiendis rhetoricae artis particulis atque in praeceptis constituendis subtilitatem accurate exsculpserit.[1]) Nihil scripsisse videtur nisi Artem (Quint. III, 1. 18); nullum aliud opus rhetoris neque a Quintiliano neque a Strabone citatur neque usquam exstat locus, unde concludere possimus aliam materiem tractatam esse in Apollodori scholis atque „longam illam principiorum praeparationem et narrationis alte repetitam seriem et multarum divisionum ostentationem et mille argumentorum gradus et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praeciperetur (Tac. dial. de orat. cap. 19).[2]) Quid igitur? eandem ariditatem materiae, eandem multarum rerum divisionem nonne in Caecilii quoque scriptis rhetoricis deprehendimus? Non constrictum eum fuisse videmus vinculis eorum „qui legem dicendi quasi quaedam mysteria traderent et certis non inveniendorum modo argumentorum locis sed concludendorum quoque praeceptis oratorem illigarent“(Quint. V,15,60)? Quare ad sententiam eorum libenter accedo, qui Caecilium Apollodori discipulum fuisse putent, non tam ductus verbis illis Quintilianeis, quae supra (pag. 7) memoravi, quam quaestionum utriusque similitudine. Quod si ita est non dubito, quin scripta rhetorica Caecilii inter prima eius sint referenda,

[1]) Volkmann, l. l. p. 458.

[2]) cf. E. Rohdeum in Mus. Rhen. vol. 41 (1886) pag. 176: *„Die Thätigkeit des Apollodor und Theodorus verlief sich in das engste Détail der rhetor. τέχνη: auf diesem Gebiete lagen die Streitpunkte zwischen den Ἀπολλοδώρειοι und Θεοδώρειοι.*

quae confecit non multo postquam ex Apollodori disciplina dimissus est. Atque id quidem non modo inde concludam, quod in quaerendi ratione subtili Apollodorum imitatus est, sed etiam quod in ipsis quaestionibus, quamquam in singulis suam sententiam eum protulisse atque nonnulla magis excoluisse facile e fragmentis perspicitur, tamen in summa Apollodori vestigiis insistere videtur. In tractandis enim artis rhetoricae praeceptis Apollodorum solis iudicialibus contentum fuisse traditur (Quint. III. 1, 1); Caecilii Artem quoque ad iudiciales solum quaestiones spectasse verisimile est, si quidem statuum doctrina maxime ad controversias pertinet.[1]) Quid dicamus de figuris? Apollodorum incomprehensibilia figurarum praecepta existimasse ipse Caecilius tradidit; ipsum non ita multum a sententia magistri recessisse tum definitione figurae, qua omnia schemata putat quae non sint *κατὰ φύσιν*[2]), tum varietate et multitudine figurarum, quas ipse descripsit, conicere licet. Exempla autem ad singulas figuras illustrandas non omnia ex oratorum scriptis sed permnlta ex Thucydide, alia ex Herodoto, e Sophocle, Euripide, aliis poetis deprompsit: qua re ductus cum librum de figuris ante commentarios de decem oratoribus editum esse coniecerit Burckhardtius,[3]) quia „Caecilius, postquam decem oratores Atticos solam recte scribendi regulam proposuit, in omni de rhetoricis rebus quaestione non nisi ex illis exempla sumere potuisset", vides plus firmitatis addi sententiae supra prolatae, qua scripta rhetorica prima Caecilii opera habenda esse censui.

Pendebat igitur ex Apollodoro Caecilius cum scripsit rhetorica illa scripta eiusque doctrinae ratione tanquam laqueis devinctus iugenium consumebat in praeceptis illis technicis, quae sane tum in magno honore fuisse constat (dial. de orat.

---

[1]) Volkmann *„die Rhetorik der Griechen und Römer in syst. Uebersicht dargest.* Lpz. 1874. pag. 30; [2]pag 55 (1885)

[2]) Prorsus repugno Burkhardtio, qui l. l. pag. 18 hanc de fiitionem apud Phoebammonem traditam optime convenire putat cum eis quae de Antiphontis figuris disseruit Caecilius; quam controversiam suo loco accuratius exponam.

[3]) l. l. pag. 20.

19). Quodsi cum his scriptis aridissimis conferimus cetera, quae de charactere decem oratorum, de Platone, de Lysia, aliis exstant fragmenta, ex arentibus locis nobis videmur in regiones amoenissimas erepti: nullae enim iam nobis occurrunt divisionum argutiae, nullae partitionum spinae, sed iudicia de scriptoribus optimis satis elegantia atque acuta: quae admirati non modo antiqui Caecilium ornaverunt nomine κριτικοῦ[1]) sed etiam nostrae aetatis viri docti laudibus extulerunt.[2])

Neque vero sponte vel casu illam et rationis et materiae docendi mutationem exortam esse arbitror, sed vi aliena et impetu aliunde vehementer in Caecilii animum insurgente. Quaerentibus autem, qui istis temporibus docuerit Romae vir doctus, qui exemplo suo Caecilium a doctrina Apollodorea amovere posset, nemo nobis occurret nisi Dionysius Halicarnassensis, quem primum inter rhetores graecos consummatum illud Atticismi genus, quale e scriptis elucet, Romae docuisse atque latius propagasse persuasum mihi habeo.

Nam priusquam Dionysius Romam venit, multi iam fuerunt qui repudiantes tumorem Asianum ad Atticorum sermonem puriorem confugerent atque unum sibi vel alterum Atticorum scriptorum imitandum sumerent. Atque inter Romanos acerrime invectos esse Calvum et Brutum in Ciceronem nobis traditur, quia parum Atticus esse videretur (dial. de orat. 18) et inter Graecos quoque fuisse, qui praeter Demosthenem Thucydidis, Platonis, Hyperidis, aliorum orationem aequare studerent, ex ipsius Dionysii scriptis satis apparet.[3])

---

[1]) Plut. Dem. c. III; Hermias ad. Plat. Phaedr. p. 188; Phot. cod. 61; cod. 265.

[2]) C. O. Mueller, Griech. Litteraturgesch. II. 330. Burckh. l. l. pag. 6 sqq. pag. 9; 25; Blass. Griech. Bereds. pag. 179 sqq. pag. 210 sqq. pag. 208; Att. Bereds. III,[1] pag. 5; Martens l. l. p. 9.

[3]) Dionys. de Din. c. 8. pag. 645: *οἱ δὲ Θουκυδίδην ζηλοῦν λέγοντες καὶ τὸ μὲν εὐτονον καὶ στερεὸν καὶ δεινὸν καὶ τὰ τούτοις ὅμοια χαλεπῶς ἐκλαμβάνοντες, τοὺς δὲ σολοικοφανεῖς σχηματισμοὺς καὶ τὸ ἀσαφὲς προχειριζόμενοι πάνυ εὐχερῶς ἂν ἀνευρίσκοιντο ἐκ τούτου*

Neque vero magis profuerunt illorum hominum studia eloquentiae renovandae quam subtilitates Apollodoreorum,[1]) cum vitiis, non

τοῦ παραγγέλματος. id. de Thuc. c. 52 pag. 942: *Εἰς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος περὶ τῶν μιμησαμένων τὸν ἄνδρα ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων.* De Platonis imitatoribus: de Din. 8. *οἱ μὲν Πλάτωνα μιμεῖσθαι λέγοντες καὶ τὸ μὲν ἀρχαῖον καὶ ὑψηλὸν καὶ εὔχαρι καὶ καλὸν οὐ δυνάμενοι λαβεῖν, διθυραμβάδη δὲ ὀνόματα καί φορτικὰ εἰςφέροντες κατὰ τοῦτ' ἐλεγχονται ῥᾳδίως.* cf. de Dem. 23. De Hyperideis v. de Din. 8: *οἱ μὲν Ὑπερείδην μιμούμενοι.* Similia de Atticorum scriptorum imitatoribus iudicia cum inveniantur apud Ciceronem (cf. de Thucydideis or. 32: „huius (Thuc.) tamen nemo neque verborum neque sententiarum gravitatem imitatur: sed cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas" ib. de Xenophonteis; de Lysianis or. 29 sq. Brut. 121; 285 sq.) satis apparet iam Ciceronis temporibus (a. 50/51. v. Harnecker in Fleckeis. ann. 1882 p. 610.) fuisse qui in imitandis Atticis modum ac rationem non servarent. Quae cum ita sint, cadit Wilamowitzii argumentum, quo Dionysium Caecilio minorem fuisse inde ostendere studeat, *„weil er schon gegen die Ultras im eigenen Lager hätte kämpfen müssen." (v. pag. 3.)*

[1]) Satis mihi comprobatum esse videtur Apollodoreos subtilibus suis quaestionibus occupatos nihil curasse Atticismum: quare non dubito adversus Wilamowitzii sententiam assentiri Rohdei verbis N. Rh. Mus. 41, 178: *„Den Apollodor zum Begründer des Atticismus zu machen fehlt jede Berechtigung."* Quibus verbis non obstat quod Augustus, Apollodori discipulus, ipse Atticismo favisse videtur, quem Maecenatis myrobrechis cincinnos elusisse Suet. tradit. (Aug. 86; cf. Dion. de antiqu. oratt. praef. c. 3, p. 448). At Apollodori disciplina vix per sex menses usus est Augustus, cum nuntio Caesaris interfecti allato ab Apollonia urbe revocatus est: insequenti autem tempore quamquam in magno honore habebat Apollodorum (Strabo XIII, 625), tamen bellis eum et gravi regnandi munere occupatum postea scholis eius interfuisse vix credibile est. Quid? simplicioris et purioris sermonis amore nonne ipse J. Caesar inter Romanos ἀττικώτατος eum imbuisse videtur? Non multi Romani in conspectu eius versabantur ab Asiano sermone abhorrentes? Non exstabant Bruti, Calvi, quin etiam Ciceronis postrema scripta rhetorica unde bonae orationis praecepta discere licebat? In eo contentum fuisse Apollodorum, ut discipulos ad iudicia optime pararet arte dilucide partes orationum distinguendi etiam ex laudibus apparet, quibus Cic. in Bruti §§ 274—79. Calidium et ipsum rhetoris discipulum effert; sed quod ex eisdem verbis Brzoska l. l. p. 67 concludit Calidii dicendi genus placidum et sanum, cui tamen deerat τὸ πάθος, fuisse etiam Apollodori nullo iure defendi potest. De Calidio cf. etiam Rohdeum l. l. p. 176 adn. Neque quod Apollodori discipuli Vispanius et Dionysius cognomine Atticorum ornati sunt ad

virtutibus scriptorum maxime essent intenti[1]) multosque, cum suo quisque scriptori omnem operam navaret, ad futtiles quaestiones et controversias quasi secutos sectam perductos esse sit consentaneum.[2]) Dionysius autem primus, quantum videmus, eam viam ingressus est, ut quae singulae de singulis scriptoribus ferebantur sententias non unius scriptoris amore devinctus[3]) cum modestia et eruditione iudicio suo submittens, quod in uno quoque optimum et imitatione dignissimum esse videretur, acriter perpenderet et tanquam canonem imitandi constitueret: quae studia etiam arte critica adiuvabat tali modo, ut comperto genere et ratione scribendi uniuscuiusque scriptoris quae genuina putanda essent opera diligenter perquireret.

Quo in opere suscipiendo cum praeter summam eruditionem opus esset rerum rhetoricarum accurata cognitio, Dionysius maxime laudandus est, quod nihil curabat artis illius praecepta, quae „ab hominum forique strepitu remota in spatiosissimis regionibus sui imperii solitariam vitam egit et a rebus externis nullo modo impedita magis magisque exspatiata est."[4]) Frustra enim quaeras in Dionysii scriptis neque in aestheticis solum, sed etiam in eis, quae maxime speciem *τέχνης* prae se ferant,[5]) statuum enumerationem vel epichirematis et enthyme-

---

Apollodori disciplinam referri necesse est: quid impedit, quo minus illosquoque sicut Caecilium ad Attica studia se contulisse putemus Apollodori scholis perfunctos?

[1]) v. pag. 15 not. 3.

[2]) cf. Dion. epist. ad Amm. I. cap. 1. p. 719 *πολλῶν μὲν ἄλλων ξένων τε καὶ παραδόξων ἀκουσμάτων ὧν ἐνήνοχεν ὁ καθ'ἡμᾶς χρόνος κ. τ. λ.*

[3]) cf. W. Schmid, Atticismus p. 22 sq.

[4]) Piderit l. l. pag. 38.

[5]) „Artis" quae fertur Dionysii ex hominum doctorum consensu capita I—VII spuria habentur; controversia exstat de capp. VIII, IX, quae a Weissmanno et Blassio Dionysio abiudicantur, a Roesslero (l. l. pag. 10) inter genuina scripta rhetoris referuntur. Quam ad Roessleri sententiam accedere non dubito, quamquam negare non possum in capitibus illis de figurato sermone maximeque in exemplis Homericis multas inesse perversitates, quae doceant eo tempore, quo scripsit illos, Dionysium ad iudicii maturitatem nondum pervenisse. Peculiarem artem D. scripsisse

matis subtilem differentiam.[1]) Neque libellus de figuris, quem scripsisse Dionysium Quintilianus tradit (IX, 3, 89), novas figuras protulisse videtur, cum figura a Dionysio inventa nusquam nominetur neque libri ipsius nulla rhetorum praeter Quintilianum mentio fiat.[2]) Et recte mihi

nullis vestigiis explorari potest; quae nomine eius tradita est „ars" collectio est variorum commentariorum variis temporibus scriptorum neque eiusdem pretii. At Quintiliani verba III, 1, 16, „multa Caecilius, multa Dionysius etc." ad omnia scripta rhetorica utriusque scriptoris (velut ad libellum quoque Dionysii de figuris, de composit. verb. etc.) referri posse iam supra monuimus (pag. 6). Ex eiusmodi libello, cum artis rhetoricae ubique commemorandae esset necessitas, Roesslerus quoque definitionem apud Max. Planudem (rhett. gr. V. pag. 213 Walz.) et alios grammaticos servatam sumptam esse putat tribuitque alicui deperditae tali commentationi ea quoque, quae Joannes Tzetzes et Georgius Pletho nobis tradunt. Definitio illa fortasse e libro *ὑπὲρ τῆς πολιτικῆς φιλοσοφίας* deprompta est: id quod de fragmentis apud Plethonem et Tzetzam servatis pro certo habeo. Defendit enim in hoc libro Dionysius Isocratis philosophiam, cuius erat sectator acerrimus (cf. de Isocr. c. 4. p. 543 R. c. 12. p. 558; ep. ad. Pomp. c. 6. p. 784) contra Epicureos (de Thuc. c. 2. p. 814): quae philosophia civilis Isocratea cum esset coniunctio quaedam rhetoricae et philosophiae, de virtutibus orationis disserendi ac definiendi Dionysio in libello illo satis erat copiae. Quod si legimus apud Plethonem (rhett. gr. VI, 587 W. frg. 25 Roessler): *αἱ δὲ τῆς ἑρμηνείας τοῦ λόγου τέσσαρες ἀρεταὶ . . . καθεστήκασιν αἵδε: σαφήνεια, συντομία, πιθανότης, μεγαλοπρέπεια, ὡς Ἰσοκράτει καὶ Ἐμπεδοκλεῖ, Διονυσίῳ, Φιλοστράτῳ, Ἰαμβλίχῳ καὶ πᾶσι παλαιοῖς* — (similiter Tzetzes Chil. XII, v. 566 cf. Quint III, 1, 8) e nomine Isocratis adiuncto aliorum philosophorum nominibus conicere possumus aliquo iure enumerasse illas virtutes Dionysium in libello *ὑπὲρ τῆς πολιτικῆς φιλοσοφίας*.

[1]) Accuratam definitionem Dionysii epichirematis et enthymematis invenire non potui nisi quod in ep. ad. Amm. c. 7. p. 730 Dionysius apponit Aristotelis de enthymemate sententiam, quod rhetoricum syllogismum hic esse vult. (Rhet. I. c. 2; 1256 a 35): quam opinionem usitatissimam sine dubio Dionysius secutus est. (cf. de Lysia c. 15). Neque mihi occurrit rhetorico sensu vox *στάσεως* (cf. de comp. verb. c. 22. p. 148: *ἐρείδεσθαι βούλεται τὰ ὀνόματα ἀσφαλῶς καὶ στάσεις λαμβάνειν ἰσχυράς*); coniecturae status nominatur in Art. Rhet. X. c. 16. p. 391: *μέγιστον δὲ καὶ ἀλογώτατον ἐκεῖνο τὸ μὴ δεῖν ἐξ εἰκότων κατηγορεῖν. τοῦτο γὰρ παντάπασι στοχασμὸν ἀναιρεῖ ὅπερ μέγιστον δικανικῆς ἰδέας μέρος.*

[2]) Caecilius et Dionysius sollemni divisione figurarum *λέξεως* et *διανοίας* usi sunt (de comp. verb. 8. p. 46.); Dionys. praeterea distinguit

Morawskius cognovisse videtur hoc fuisse Dionysii in arte rhetorica excolenda insigne meritum, quod primus oratorem vinculis illis, quibus scholae Apollodori et Theodori discipulos constrinxissent, liberare studuisset.[1]) Nam ut rhetores aequales nec non Caecilius „scholasticis“ praeceptis suis et legibus eloquentiae flumina tamquam aggeribus coercebant atque in rivulos diducebant, ita Dionysius ad ipsos fontes se contulit, atque illuc animos rapere conatus est, ubi non seclusa aquula teneretur, sed unde torrentis instar erumperet indomita vis eloquentiae nullis obstricta impedimentis nisi quae opposuit *ὁ καιρὸς ὁ πάντα μετρῶν* (cf. de Lys. c. 13. p. 482; de comp. verb. c. 12. p. 67.) Quare ne miremur, quod Hermagorae, Apollodori, Theodori nomina celeberrima ne semel quidem memoraverit: abhorruisse enim eum a ratione docendi *τῶν νέων τεχνογράφων* cum ex ipsius verbis[2]) elucet, tum inde, quod etiam in praeceptis rhetoricis respiciat Isocratem, Aristotelem, Theophrastum, nunquam aequales rhetores.[3])

δέας τροπικὰς vel *τρόπους* (de Thuc. c. 5. p. 966; de Dem. c. 46. p. 1103; de Lys. c. 3. p. 457), inter quos invenimus *ὑπερβατὸν* et *περίφρασιν* (de Thuc. c. 31. p. 891; c. 26. p. 929), quae Caecilius schemata esse putavit. Dubitari autem potest, num omnino Caecil. tropos statuerit, cum quamcunque *τροπὴν μὴ κατὰ φύσιν* schema esse vellet. Inter Dionysii schemata *διανοίας* falso rettulit Roesslerus, qui Dion. figuras collegit, *πλεονασμὸν*, quae vox exstat de Dem. c. 50. p. 1106.: *ἡ δὲ συνδρομή τε καὶ πλεονασμὸς, οἷς ἐλέγχεσθαι πέφυκε παντὸς πράγματος καὶ σώματος γνῶσις, ἴδιος αὐτῆς* (sc. *τῆς Δημοσθ. συνθέσεως*) *γίνεται χαρακτήρ.* Nomina *παρεμβολῆς* et *παρεμπτώσεως* occurrunt de Thuc. c. 15. p. 814. p. 815. (cf. p. 868; 792); verum non significant Caecilii figuram peculiarem: neque figuras putavit esse Dionys. *ἀφαίρεσιν* et *ἀλλοίωσιν* (de comp. verb. c. 6. p. 39). Abhorret igitur Dionysius a Caecilii argutiis.

[1]) v. Morawski, De Dion. et Caec. studiis rhetoricis; N. Rh. Mus. 34, 370 sqq.

[2]) de Isaeo c. 14. p. 613 *τοιγάρτοι μετὰ τὰς διηγήσεις τὰς οὕτω ᾠκονομημένας, οὐκ ἔτι τὰς προηγουμένας ἀποδείξεις πολλοῖς βεβαιοῦται λόγοις οὐδ' ἔστιν ὅμοιος τοῖς νέοις τεχνογράφοις ἀλλὰ τὰς τῶν ἀντιδίκων πίστεις ἀναιρεῖν οἴεται.* cf. Dion. iudicium acerrimum in rhetorum inutiles declamationes Ars Rhet. X. c. 16.p. 391: *ταῦτα καὶ ἄλλα τοιαῦτα κεφάλαια ἐν ταῖς τῶν σοφιστῶν διατριβαῖς εἰθισμένα ἀγωνίζεσθαι φευκτέα, εἰ μέλλει τις πρὸς ἀλήθειαν ῥητορεύειν.*

[3]) cf. Morawski l. l. Blass. Griech. Bereds. p. 197 sqq.

Caecilii autem scripta aesthetica et critica perspicientes cum videamus rationem prorsus alienam ab Apollodorea illa subtilitate, quam in rhetoricis imitatus est, et mirum in modum convenientem cum ea via, quam Dionysius in scriptis eloquentiae renovandae causa ingressus est: iam pronis auribus accipiemus sententiam eorum, qui Caecilium aetate Dionysio inferiorem fuisse censuerunt. Neque enim ita multo postquam Apollodori disciplinam reliquit, opera Dionysii eum cognovisse putabimus, cum vix credi possit tantam mutationem factam esse in viro iam annis provectiore, in quo inveteraverat solita docendi ratio. Quanto vero ardore nova illa studia arripuerit Caecilius ex eo suspicari licet, quod in Asianos duos libellos peculiares conscripserit: *τίνι διαφέρει ὁ Ἀττικὸς ζῆλος τοῦ Ἀσιανοῦ* et *κατὰ Φρυγῶν β'*: quibus e titulis cum exspirare videatur fervor quidam iuvenilis et odium Caecilii, Dionysii aetatis moderatioris natura perspicitur ex verbis libelli de Thuc. c. 2. p. 814: *καὶ οὐδεμίαν ἐκδεδωκὼς γραφὴν ἐν ᾗ κατηγορῶ τινος ἔξω μιᾶς πραγματείας, ἣν συνεταξάμην ὑπὲρ τῆς πολιτικῆς φιλοσοφίας πρὸς τοὺς κατατρέχοντας αὐτῆς ἀδίκως.* At si iure Caecilius Dionysii exemplo et scriptis permotum esse putavimus, certa quaedam signa atque vestigia, quibus opinio nostra confirmetur, ex philologis quoque scriptis utriusque rhetoris apparebunt et, quae ratio intersit inter opera quaedam Caecilii et Dionysii, fortasse erit constituendum: quae coniectura num recte se habeat, ut accuratius cognascamus novasque causas ad probandam nostram sententiam afferamus, iam ad alteram operis propositi partem transeamus, qua interpretemur Caecilii scriptorum philologorum fragmenta.

II.

Philologorum Caecilii scriptorum triplex invenimus genus. Atque primo quidem genere continentur libri, quibus de antiquis scriptoribus iudicia feruntur aesthetica et critica;[1]) alterius, quo agatur *θεωρητικῶς* magis de singularum orationis virtutum natura et causis, unum nominatur exemplum Caecilii libellus *περὶ ὕψους*; tertium denique genus complectitur rhetoris studia lexicographica.[2])

Ac primum quidem ad primi generis libros conscribendos, qui ad enarrandos oratores Atticos pertinent, Caecilium adductum esse exemplo et impetu Dionysii ut demonstrem, quaerendi aptius capere initium non possum quam ex magno illo Caecilii opere, quod *περὶ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων* Suidas inscriptum tradit. Quem librum fuisse praestantissimum et ceteros magnitudine et dignitate superavisse numero fragmentorum longe maximo satis perspicitur; cumque appareat eundem simillimum fuisse cum ratione iudicandi tum materie ipsa ad tractandum proposita Dionysii scriptis, quae de antiquis oratoribus com-

---

[1]) Huic generi scriptorum attribuo Caecilii libros hosce: [1]) *περὶ τοῦ χαρακτῆρος τῶν δέκα ῥητόρων*, cuius libri exstant plurima fragmenta (Burckh. frg. 1—24.); [2]) *σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος* (v. Suid. s. v. *Καικ.*), quo ex libro servatum est unum fragmentum in Plut. vitae Demosth. c. 3. Burckh. frg. 52.); Nihil praeter titulum nobis traditum est libri qui inscribitur a Suida [3]) *σύγκρισις Δημοσθένους καὶ Αἰσχίνου*. Praeterea autem quae Pseudolong. *π. ὕψους* 32. 7 nominat Caecilii *ὑπὲρ Λυσίου συγγράμματα* Burckhardtius putavit fuisse peculiarem librum: quam sententiam recte Martensius l. l. p. 7 n. 6 mihi refutasse videtur. Quare astipulor dicenti ei nihil obstare, quominus *συγγράμματα* illa partem fuisse putemus libri de decem oratoribus scripti.

[2]) Nominatur a Suida Caecilii *ἐκλογὴ λέξεων κατὰ στοιχεῖον* cf. Burckh. l. l. p. 15. Blass. Griech. Bereds. p. 176 n. 2.

posuit, sane plurimum nostra interesset accuratius inquirere, num quae ratio intercederet inter maximum utriusque scriptoris opus et num quae vestigia alterius studiorum in altero deprehenderentur.

Jam vero illis temporibus, cum Dionysius conscribere coepisset commentarios de antiquis oratoribus, omnino nulla exstitisse Caecilii studia aesthetica et critica compluribus mihi argumentis videtur confirmari: quorum gravissimum primo loco adscribam ipsius Dionysii testimonium. Is, postquam de causis disseruit, quibus factum esset, ut Atticorum nobilissimum et optimum dicendi genus iam superasset Asianam eloquentiam intolerabilem et frigidam, in praefationis commentariis suis de antiquis oratoribus praemissae cap. 14., pag. 449 sqq. R. haec addit verba: „ἐξ ὧν δ' ἂν ἔτι μείζω λάβοι τὰ κρείττονα ἰσχὺν ταῦτα πειράσομαι λέγειν ὑπόθεσιν τοῦ λόγου κοινὴν καὶ φιλάνθρωπον καὶ πλεῖστα δυναμένην λαβών. ἔστι δ' ἤδη (Sylb.: ἥδε.), τίνες εἰσὶν ἀξιολογώτατοι τῶν ἀρχαίων ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων καὶ τίνες αὐτῶν ἐγένοντο προαιρέσεις τοῦ τε βίου καὶ τοῦ λόγου καὶ τί παῤ ἑκάστου δεῖ λαμβάνειν ἢ φυλάττεσθαι. καὶ θεωρήματα καὶ ἀναγκαῖα τοῖς ἀκούουσι τὴν πολιτικὴν φιλοσοφίαν καὶ οὐδέ που, μὰ Δία, κοινὰ οὐδὲ καθημαξευμένα τοῖς πρότερον. ἐγὼ γοῦν οὐδεμιᾷ τοιαύτῃ περιτυχὼν οἶδα γραφῇ πολλὴν ζήτησιν αὐτῶν ποιησάμενος. οὐ μὲν δὴ διαβεβαιοῦμαί γε, ὡς δὴ καὶ σαφῶς εἰδώς. τάχα γὰρ ἂν εἶέν τινες αἱ ἐμὲ διαλανθάνουσαι τοιαῦται γραφαί. τὸ δὲ τῆς ἁπάντων ἱστορίας ὅρον ἑαυτὸν ποιεῖν καὶ περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι τι τῶν δυνατῶν γενέσθαι λέγειν αὔθαδες πάνυ καὶ οὐ πόῤῥω μανίας.“ Tanquam nova igitur necdum contrita sua se iudicia proferre Dionysius aperte profitetur neque ullam se talem scriptionem invenisse, qualem ipse esset editurus, quamquam investigandis eiusmodi libris summam dedisset operam.[1]) At num Dionysius haec verba operi suo praemisisse

[1]) Ad haec verba Brzoska l. l. p. 19. adn. 3: „Dionysius, inquit, ceteroqui non ita accuratus in auctoribus conquirendis et comparandis tacite concedit posse quosdam libellos eiusdem argumenti reperiri ipsaque *θεωρήματα* cum non vulgaria neque trita dicit aperte profitetur saltem incohata esse.“ Miror quanta sagacitate cum aliis verbis tum his sensum intulerit ab eo, qui in scriptoris verbis maxime perspicuis inest, plane ab-

putandus est Caecilii libro de decem oratoribus iam edito? Atqui haud spernendum neque quod facile negligi posset Caecilii opus erat, si quidem saepe exscriptum a posterioribus magnam videtur auctori paravisse auctoritatem: quodsi exstitisset, antequam Dionysius commentarios suos scribere coepisset, quomodo eum fugere potuerit, ne divinatione quidem assequi possum, praesertim cum non in angulo quodam remotissimo Caecilius libros suos conficeret, sed in luce ipsius Romae; qua in urbe cum et ipse Dionysius doceret, quin brevissimo temporis spatio cum aliorum hominum doctorum, qui frequentissimi undique eo confluebant,[1]) tum ipsius Caecilii studia ei innotuerint *πολλὴν ζήτησιν ποιησαμένῳ* vix quisquam dubitabit. Neque vero primo statim tempore, postquam Romam venit, Dionysius commentarios suos videtur composuisse; praecedunt enim eos in ordinibus, quos composuerunt Blassius et Roesslerus, epistula ad Ammaeum I. et libellus ille de compositione verborum[2]) — quid? per temporis intervallum illud sane longum, quod inter Romam scriptoris adventum et commentariorum compositionem intercessisse videtur, nonne satis ei facultatis erat data Caecilii, si quae exstiterunt, scripta aesthetica et critica cognoscendi? Quae si fuissent, novisset profecto Dionysius; si novisset, in praefatione memorasset; at non memoravit, ergo nondum exstiterunt. „Nondum" dico; neque enim malignitate animi vel invidia Dionysium ea silentio praetermisisse alius quidam locus docet, qui exstat in epistulae ad Cn. Pompeium cap. 3; pag. 777 R: *„ἐμοὶ μέντοι καὶ τῷ φιλτάτῳ Καικιλίῳ δοκεῖ τὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ μάλιστά γε καὶ ζηλῶσαι Δημοσθένης."*

---

horrentem. Equidem Dionysium puto se nova proferre credidisse nequedum exsistere similes quaestiones, quales ipse institurus esset; at cautis verbis praecavisse, ne sibi, si qui forte libellus eiusmodi se fugisset, vana iactatio ab adversariis opprobrio daretur. Si sibi conscius erat Dionysius talia *θεωρήματα* iam ante se esse incohata, quidni operam dederit accurate eis conquirendis? Quo iure dicere potuit se nullam talem scriptionem invenisse, quamvis acriter indagare studuisset? — nisi forte Brzoskam secuti Dionysium non modo neglegentem scriptorem sed etiam mendacissimum putamus!

[1]) Blass. Griech. Bereds p. 151.

[2]) Blass, de scriptis rhett. p. 23, 30; Roessler. l. l. p. 13.

Haec autem epistula scripta est, postquam editi sunt commentarii de Lysia, Isaeo, Isocrate, de Demosthenis vi dicendi, fortasse peculiaris quoque scriptio de Demosthenis orationibus genuinis et spuriis.[1]) Quid igitur? cum scribere coepisset commentationes illas, Caecilii ne nomen quidem memoravit: confectis vero illis cum epistulam componeret ad Cn. Pompeium, non modo ipsum Caecilium in oratoribus percensendis inducit versantem, sed etiam nominat sibi familiarissimum? Quo quidem testimonio cum omnis suspicio tollatur, qua quis putaverit Caecilii et nomen et studia a Dionysio consulto loco illo, quem supra apposuimus, esse omissa, satis mihi comprobari videtur, scriptorem, cum praefationis verba scriberet, Caecilii studia ulla, quae ad oratores Atticos pertinerent, prorsus ignorasse; quomodo autem ei, qui iam ante Dionysii adventum studiis illis Caecilium se dedisse contendant, duos illos locos Dionysianos inter se coniungere velint, non video. Nam ad istorum sententiam si accedimus, non habemus, cur non multo antequam iudicia de oratoribus conscriberet, Dionysium in Caecilii familiaritatem receptum esse putemus, si quidem similitudo eorundem studiorum hanc inter utrumque scriptorem amicitiam peperisse iure aliquo concludimus: quod si conceditur, amicissimi Caecilii scripta aesthetica et critica, si iam primo Dionysii adventu exstabant, num multo post adeo ei ignota fuisse putabimus, ut nullam se talem scriptionem invenisse diceret, quamvis multum inquisivisset? Minime, credo. At quid re vera ex illorum locorum collatione concludendum sit, in propatulo esse videtur: aut nomen Caecilii omnino non novit Dionysius, quia puer ille aetate vel adulescens tum adhuc utebatur Apollodori disciplina, aut si iam occupatus erat Caecilius in componenda arte et ipse versabatur in subtilitatibus Apollodoreis, neglexit eum eodem iure, quo Apollodorum, Theodorum, alios *τῶν νέων τεχνογράφων*. Iam vero Dionysii commentarii de oratoribus in publicum proferebantur: quibus perlectis Caecilius ad similia studia incitatus Dionysium consulebat, iudicia cum eo

[1]) Blass de scriptis rhett. pag. 21.

communicabat,[1]) denique in consuetudinem et amicitiam eius pervenit.

Quoniam ex ipsius Dionysii claris verbis satis perspicitur non novisse eum cum aliorum tum Caecilii studia, quae ad Atticos oratores spectarent, iam Caecilii de decem oratoribus libri fragmenta intuenti nova quaedam apparebunt, quae ignorasse Dionysium optime explicari potest, si Caecilium minorem natu Dionysio fuisse censemus: quae neglexisse eum, si iam pervulgata essent Caecilio ante Dionysium auctoritate florente, summam certe moveret offensionem. Ac ne quis nimiam me fidem habere arbitretur argumentis magnam partem ex silentio Dionysii depromptis, semper in eis quoque, quae sequuntur, illud teneto, quod supra monuimus: commoratum esse in eadem urbe, versatum in eisdem studiis Dionysium ac Caecilium, denique malevolae reticentiae nullam exstare suspicionem.

Jam vero ut in universum de materiae et ambitu et dispositione, qualis in utriusque scriptoris opere eluceat, pauca disseramus, neminem fugit Caecilium tractandi multo sibi latiores fines terminosque constituisse quam Dionysium. Hic autem, quid sibi proposuerit, cognosces ex ipsius verbis. (de ant. orr. c. 4. pag. 450 R.): „*τῶν δὲ ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων, ὑπὲρ ὧν ὁ λόγος, πολλῶν πάνυ ὄντων καὶ ἀγαθῶν, τὸ μὲν ὑπὲρ ἁπάντων γράφειν μακροῦ λόγου δ' ἐόμενον ὁρῶν ἐάσω. τοὺς δὲ χαριεστάτους ἐξ αὐτῶν προχειρισάμενος κατὰ τὰς ἡλικίας ἐρῶ περὶ ἑκάστου, νῦν μὲν περὶ τῶν ῥητόρων, ἐὰν δ' ἐγχωρῇ καὶ περὶ τῶν ἱστορικῶν. ἔσονται δὲ οἱ μὲν παραλαμβανόμενοι ῥήτορες τρεῖς ἐκ τῶν πρεσβυτέρων, Λυσίας, Ἰσοκράτης, Ἰσαῖος. τρεῖς δ' ἐκ τῶν ἐπακμασάντων τούτοις, Δημοσθένης, Ὑπερείδης, Αἰσχίνης, οὓς ἐγὼ ἡγοῦμαι κρατίστους.*“ Delectum igitur habuit sex oratorum, quibus pertractatis septimum postea adiunxit Dinarchum; Caecilius autem cum decem sibi proponeret oratores enarrandos, primus, quantum scimus, commemoravit decadem illam oratorum a posterioribus

[1]) Verisimile mihi quidem esse videtur Caecilii iudicium de Demosthene non tam e libro quodam Caecilii iam edito exhaustum quam in colloquio familiariter habito prolatum vel compertum e recitatione a Dionysio traditum esse amico Cn. Pompeio, cui procul dubio Caecilius notus erat.

rhetoribus celebratam et tanquam eloquentiae normam habitam.[1]) Is decem oratorum delectus virorum doctorum non nullas excitavit contraversias: Quarum ex numero gravissimas illas quidem, quae habitae sunt de origine et auctore canonis, hoc loco mittimus; verum tamen cum de aetatis discrimine agamus Caecilii et Dionysii, illud nostra interest examinare, utrum canon ille a Caecilio primum nominatus Dionysio ceterisque eius aequalibus notus fuisse videatur nec ne. Qua de re qui novisssime et copiosissime disseruit J. Brzoska[2]), cum probare studeat decadis a. 125. a. Chr. compositae viros doctos, etiamsi non apertam fecissent mentionem, tamen tacitam habuisse rationem, nimis mihi futtilibus atque argutis argumentis inniti videtur quam ut possim ad sententiam eius accedere. Atque ut omittam quae de Demetrii Magnetis notitia decadis disputavit, cum ipse non plane fidem habeat argumentis suis, acrius refutandum mihi videtur, quod Dionysium atque Ciceronem ad normam illam spectasse dixit. Nam non modo loco supra (pag. 25) allato Dionysio memorandi canonis copia fuisset, sed multo magis de Isaeo c. 19. p. 625 R., quo loco, quibus causis ductus Lysiam, Isocratem, Isaeum elegisset, claris verbis aperuit. Nam cum in oratione poetice et magnifice adornanda Isocrates omnibus esset praeponendus, consulto se praetermisisse Gorgiam, Alcidamantem, Theodorum, Anaximenem, praeterea imitatores eius Theodectem, Naucratem, Ephorum, Philistum; in orationibus forensibus cum emineret Lysias, neglexisse se Antiphontem, Thrasymachum, Polycratem, Critiam, Zoilum; Isaei se rationem habuisse, quia sibi videretur Demosthenicae eloquentiae semina dedisse.[3]) Qua enumeratione[4])

---

[1]) Rhetorum testimonia, quibus decadis mentio fit, collecta inveniuntur in Meieri commentatione de Andocide quarta, p. 5 (= opusc. acad. I. p. 123—125 adnott. 3—24.)

[2]) Brzoska, de canone decem oratorum. Vratisl. 1883.

[3]) cf. M. E. H. Meier, comment. de Andoc. IV. p. 11 = opusc. I, 135 sq.

[4]) Juvat hoc loco afferre simillima Dionysii verba quae exstant in comm. de Demosth. c. 8 p. 974. Prioribus enim capitibus postquam magno

sane Dionysii eruditio luculenter perspicitur; causa vero, qua ducti scriptorem canonem quendam, quin ipsam decadem respexisse putemus, nulla apparet. Neque omittendum esse censeo argumentum, quod Meierus (opusc. I. p. 135) sumpsit ex loco Dionysiano, qui exstat in libri de Dinarcho cap. 1. pag. 629 sq.: *Περὶ Δεινάρχου τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἰρηκὼς ἐν τοῖς περὶ τῶν ἀρχαίων γραφεῖσι . . . ὁρῶν δὲ καὶ τοῦτον τὸν ἄνδρα παρὰ πολλοῖς ἠξιωμένον ὀνόματος ἐπὶ δεινότητι λόγων καὶ ἀπολελοιπότα δημοσίους τε καὶ ἰδίους λόγους . . . ἡγησάμην δεῖν μὴ παραλιπεῖν αὐτὸν κ. τ. λ.*: quibus verbis non quod in canonem et in numerum sit selectus, Dionysius Dinarchi se rationem habere ait, sed quia „apud multos hunc quoque viderit in aliquo esse honore.“ Atque in veterum scriptorum censurae cap. 5., quo de oratoribus egit, (pag. 431 sq. R.) et in epistula ad Ammaeum I. (pag. 722 sq.)[1]) Dionysium decadis mentionem facturum fuisse, si ipsi innotuisset, iure M. E. H. Meierus adnotavit. (l. l. n. 53.); cumque in veterum scriptorum censura l. l. (quae epitome est

stilo secutus Theophrasti tria elocutionis genera Atticarum litterarum progressus depinxit descripsitque, quomodo crevisset eloquentia Attica exemplis usus principum oratorum Gorgiae, Thucydidis, Lysiae, deinde Thrasymachi, Isocratis, Platonis, iam ad Demosthenem perveniens hoc modo pergit: *Ἀλλὰ γὰρ ἵνα μὴ . . . ὁ λόγος μοι προβῇ Πλάτωνα μὲν ἐάσω, πορεύσομαι δ' ἐπὶ τὸν Δημοσθένην, οὗ δὴ χάριν τούς τε χαρακτῆρας τῆς λέξεως, οὓς ἡγούμην εἶναι κρατίστους, καὶ τοὺς δυναστεύοντας ἐν αὐτοῖς κατηριθμησάμην, οὐχ ἅπαντας: Ἀντιφῶν γὰρ δὴ καὶ Θεόδωρος καὶ Πολυκράτης, Ἰσατός τε καὶ Ζωίλος καὶ Ἀναξιμένης καὶ οἱ κατὰ τοὺς αὐτοὺς γενόμενοι τούτοις χρόνους οὐθὲν οὔτε καινὸν οὔτε περισσὸν ἐπετήδευσαν, ἀλλὰ ἀπὸ τούτων τῶν χαρακτήρων καὶ παρὰ τούτους τοὺς κανόνας τὰς ἑαυτῶν λέξεις κατεσκεύασαν.*

[1]) ad. Amm. I. c. 2.: *καὶ οὔτε οἱ περὶ Θεόδωρον καὶ Θρασύμαχον καὶ Ἀντιφῶντα σπουδῆς ἄξιον οὐδὲν εὗρον, οὔτε Ἰσοκράτης καὶ Ἀναξιμένης καὶ Ἀλκιδάμας οὔτε οἱ τούτοις συμβιώσαντες τοῖς ἀνδράσι παραγγελμάτων τεχνικῶν συγγραφεῖς καὶ ἀγωνισταὶ λόγων ῥητορικῶν, οἱ περὶ Θεοδέκτην καὶ Φίλισκον καὶ Ἰσαῖον καὶ Κηφισόδωρον, Ὑπερείδην τε καὶ Λυκοῦργον καὶ Αἰσχίνην, οὔτ' αὐτὸς ὁ Δημοσθένης . . . τοιοῦτος ἂν ἐγένετο τοῖς Ἰσοκράτους τε καὶ Ἰσαίου κοσμούμενος παραγγέλμασιν, εἰ μὴ τὰς Ἀριστοτέλους τέχνας ἐξέμαθεν.* (Hanc Peripateticorum sententiam Dionys. in sqq. refutare studet.)

Dionysii secundi libri π. μιμήσεως cf. Blass. de script. rhett. p. 21) Dionysius quinque ex illis sex oratoribus ad imitandum commendaret, Isaei loco Lycurgum sextum reponeret, non inepte conclusit G. Steffenus firma norma eum caruisse.[1]) Quodsi Dionysium canonem ignorasse[2]) statuendum est, non minus infeliciter Brzoskam contra Steffeni verba pugnasse arbitror, quibus is (l. l. pag. 47) Ciceronem quoque decadem non novisse dicit, cum nullo loco eam scriptor memorasset, quin etiam ne uno quidem loco Andocidis et Isaei mentionem fecisset. Quod ita se habere ipse concedit Brzoska; tamen multis se adductum esse locis confirmat, ut si minus decadem, at tamen delectum quendam oratorum Atticorum Ciceronem secutum esse pro certo haberet. At volvas, quaeso, locos iilos Ciceronis, quos Brzoska (l. l. pag. 23) in tabula affert compositos, exempli gratia de orat. II. c. 98, quo capite historia eloquentiae copiosius tractatur: ne speciem quidem canonis fuisse invenies in eo libro Graeco, quo Cicero hoc loco usus est. Nam antiquissimos fuisse dicit orator, quorum quidem exstarent scripta, Periclem, Alcibiadem, Thucydidem; eos autem consecutos esse Critiam, Theramenem, Lysiam, qui omnes retinuissent Periclis sucum. Ecce exortum esse Isocratem, cuius e ludo tanquam ex equo Troiano exiissent meri principes, Theopompi, Ephori, Philisti, Naucratae. Jam nominantur ei, qui ad causas se contulerint, Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus; quibus adiunguntur

---

[1]) Steffen, de canone qui dicitur Aristophanis et Aristarchi. Lps. 1876. p. 49.

[2]) Quod Brzoska putat Dionysium de Andocide aeque atque de aliis scriptoribus decadis disseruisse firmo prorsus caret fundamento. Blassii enim sententia, qua nititur Brzoska, posita est in uno fragmento ex hypothesi orationis π. εἰρήνης deprompto: ὁ δὲ Διονύσιος νόθον εἶναι λέγει τὸν λόγον cf. Blass. de script. p. 16. Griech. Ber. p. 173; Roessler l. l. p. 25. Minus confidenter Blassius iudicat de Dionysii studiis Andocideis Att. Bereds. I² (1887) p. 299; philologis enim studiis ductum putat eum paululum versatum esse in Andocidis orationibus diiudicandis — nisi tanquam πάρεργον in aliquo scripto Andocidis quoque orationes perstrinxisse putandus est.

mollioris dicendi generis principes,[1]) Democharis, Demetrius Phalereus, Menecles eiusque frater Hierocles Alabandenses.[2]) Similis enumeratio oratorum in Bruto 26—39; sed in ea quoque canonis vestigia frustra requiras, si quidem vox canonis ita est intelligenda, ut normam atque regulam quandam significet, regula autem certos et numero terminatos fines desideret. Nullo deinde loco memoravit Cicero neque Andocidem neque Isaeum: quod idcirco Brzoska eum fecisse contendit, quia nimis prisci illi oratores a sua indole abhorruissent; — quid? quod Ciceroni non imitandi videbantur, num propterea, cum historiam Atticae eloquentiae tractaret, ne nominandi quidem erant? Quo tandem iure Brzoska inter „priscos“ oratores Isaeum rettulit? cum Dionysius Lysiae orationem comparet *ταῖς ἀρχαιοτέραις γραφαῖς*, Isaei autem sermonem *ταῖς ἐκπεπονημέναις καὶ τεχνικωτάταις* (de Isaeo c. 4. cf. c. 3.), cum in Isaei dicendi genere ipsius Demosthenicae eloquentiae inesse dicat semina. Ciceronem igitur, qui Demosthenem oratorum principem summis laudibus celebravit, num

[1]) Quos tamen non minus Atticos esse Cicero putavit cf. Brut. 285: illud etiam quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit; mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. Orat. 92: in qua (sc. media orationis forma) multi floruerunt apud Graecos, sed Phalereus Demetrius meo iudicio praestitit ceteris.

[2]) de or. II, 95: „hodie Alabandensem Meneclem et eius fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitatur Asia.“ Quo loco cum testetur Cicero „plurimos eorum, qui tunc in eloquentia studium collocarent, ab Atticorum rationibus dicendi alienissimos fuisse“ (Steffen l. l. p. 47), Brzoska p. 23 solum id colligi posse dicit canonem „tunc temporis quo sermonem haberi Cicero fecisset (a. 91. a. Chr.) cum nondum satis probaretur esse neglectum.“ Quae sententia mihi prorsus inepta esse videtur. Quis enim nescit ad Antonii et Crassi personas suas ipsius Ciceronem transtulisse sententias? qui si canonem novisset sine ulla dubitatione Antonium de eo disserentem fecisset. Fortasse Antonius Alabandenses illos audivit: Ciceronem ipsum eos audivisse puerum constat. cf. Brut. 325. or. 23; quibus locis simile exstat de Hierocle et Menecle iudicium atque in libros de oratore scriptis. Quid vero? si in libris de oratore ficti temporis rationem Cicero habuit, cur canonem anno 91. nondum probatum idem Cicero non nominavit in locis simillimis, qui exstant in „Bruti“ atque „oratoris“ dialogis anno 46. habitis? An etiam tum canon nondum satis probabatur?

in talibus locis, quibus de Atticorum eloquentia disseruit, Isaeum, Demosthenis, ut ferebatur, magistrum consulto praetermisisse putabimus, si novisset? At non novit Cicero oratores illos: id quod in Isaeo sane permirum esse videatur, minus offensionis habeat in Andocide, quippe quem silentio praetermissum ab Aristotele et Theophrasto apud insequentium temporum rhetores fere omnino obscuratum esse et evanuisse constet. Ne Antiphontem quidem Cicero legisse videtur, cum eo loco, quo iudicium afferat de rhetore, Aristotelis, non sua verba expresserit.[1]) Ac plura apponere possum, quibus verisimile esse appareat Ciceronem certum oratorum canonem non respexisse: verito autem mihi, ne longius a re proposita aberrem, satis esto demonstrasse decadem certe eum non novisse, cum duos oratores prorsus ignoraret, tertium non suum sed Aristotelis iudicium secutus breviter attingeret.

Neque Gorgias Ciceronis aequalis rationem decadis habuit, cum exempla figurarum multa conquireret ex Lysia, Demosthene, Hyperide, Lycurgo, Dinarcho, deinde multa ex Pythea, Stratocle, Charisio, Hegesia, aliis, prorsus neglegeret Antiphontem, Andocidem, Isaeum, Isocratem, Aeschinem: qua re ductus cum Meierus (opusc. I. pag. 133) tum Steffenus (l. l. pag. 49) non fuisse canonem Gorgiae temporibus coniecit. Quorum sententias impugnans Brzoska „non potuisse dicit, Gorgiam, ut voluisset, ex decem omnibus oratoribus exempla promere, cum alii alias figuras adhibuissent, demum inde ab Isaeo oratores sententiarum figuris manifestam dedissent operam, cum priores *ἀσχημάτιστοι* dicerentur“ (l. l. pag. 18). Satis acutum argumentum! et quod optime, si de sententiarum figuris ageretur in eis, qui supersunt, libris Gorgianis, quadraret in Antiphontem, Andocidem, quin Isocratem,[2]) nullo tamen modo pertineret ad Isaeum[3]) et Aeschinem;[4]) at in verborum figuris colligendis quo iure negligere potuit Gorgias Antiphontem

[1]) Dubitari potest etiam, num Lycurgum Cicero ipse legerit cf. Blass. Att. Bereds. III, 2 p. 92. n. 9.

[2]) Blass. Att. Ber. II. p. 167.

[3]) Pseudopl. vita x oratt. 839 F.

[4]) Blass. Att. Ber. III, 2 p. 207 sq. p. 212 sq.

scriptorem „Gorgianis“ illis figuris ornatissimum, quo iure Isocratem, cuius sermonis exemplis, ut figuras illustraret, ipse Aristoteles utebatur, Isocratis ille adversarius? Quae cum ita sint, ut Gorgiam canonem quendam decem oratorum Atticorum novisse, putem mihi persuadere non possum; immo eam in eligendis scriptoribus rationem mihi iniisse videtur, ut et Asianae eloquentiae eis temporibus florentis rationem haberet et eos respiceret, qui sibi unum vel alterum Atticorum oratorum imitandum proposuissent.[1])

Sed iam finem imponamus huic de canone decem oratorum disputationi, qua quidem illud mihi docuisse videor a summis rhetoribus decadis rationem adeo non esse habitam, ut non temere conicias prorsus illis viris eam fuisse ignotam. Quodsi laus pervulgati canonis iure uni Caecilio tribuenda esse videatur, sive ipse composuit sive aliunde receptum ad lucem primus produxit, iam ad nostram quaestionem de aetatis inter Caecilium et Dionysium discrimine habitam quantum valeat denarius numerus, vix quemquam fugiet. Neque enim si ante Dionysium Caecilius auctoritate florens canonem illum pervulgasset, ille, cum commentarios esset scripturus, notissimi scriptoris delectum neglexisset neque, quam rationem in eligendis scriptoribus amicus adhibuisset, silentio consulto praetermisisset. Quod

[1]) Nominantur Lysiae, Hyperidis, Demosthenis, Dinarchi sectatores cum a Cicerone tum a Dionysio: fuisse etiam qui Lycurgum imitarentur inde conicias, quod in libro π. μιμήσεως Dionysius loco Isaei Lycurgum imitatione dignum proposuerit. Hoc non fortuito factum esse arbitror; vides enim Isaeum, quem nec Cicero nec Gorgias commemorat, adeo tenebris obrutum fuisse, ut Dionysius occasione oblata pro eo, quem in commentariis laudaverat, substitueret Lycurgum magis notum scriptorem, quem Cicero quoque nominat in summis oratoribus de orat. II, 94; Brut. 36. Aeschinem propterea fortasse Gorgias neglexit, quod praeter Demosthenicae eloquentiae artem Aeschinis, qui Demosthenem expressit, nova vel clariora figurarum exempla non invenit. Isocrateorum denique sectam neque Cicero neque Dionysius cum ullo loco commemoret, coniceres facile Isocratem magis in technographorum officinis quam in luce viguisse forensis vitae. cf. Cic. or. 42: (Iscoratis dicendi genus) pompae quam pugnae aptius gymnasiis et palaestrae dicatum, spretum et pulsum foro; sed quod educata huius nutrimentis eloquentia ipsa se postea colorat et roborat, non alienum fuit de oratoris quasi incunabulis dicere.

cum non ita verisimilis esse videatur ea opinio, qua quis Caecilium aetate antecessisse putet Dionysio, Caecilium contra nihil obstat, quin ignobilem tum atque annis minorem post Dionysii commentarios similia studia esse sectatum credamus.

Jam vero ad ipsa fragmenta libri de decem oratoribus scripti transeuntes videamus, quae in singulis appareant inter Caecilium et Dionysium discrimina. Atque recte quidem Burckhardtius cognovit Caecilii commentarios eodem modo tuisse compositos quo Dionysii libellum de Dinarcho. Primum enim rhetor videtur elaborasse in vitis singulorum scriptorum enarrandis: quibus descriptis cum certorum temporum momenta essent constituta, quibus orationes inserendae erant, fundamentum quoddam iactum erat, unde exsurgeret ars critica in distinguendis spuriis et genuinis orationibus adhibenda. Qua in re magnam operam dedisse videtur Caecilius, ut quam accuratissime vitarum enarrationes adornaret, cum ex optimis eum fontibus hausisse perspicere liceat e Pseudoplutarchi vitis decem oratorum, qui cum optima quaeque e Caecilii libro petivit tum decretum illud publicum, quo Antiphon proditionis damnatus est, indidem se transtulisse testatur.[1]) Eiusdem autem Pseudoplutarchi descriptio vitae Demosthenis cum et ipsa optimorum auctorum et decretorum publicorum[2]) fide niti videatur, non sine veritatis specie coniecit Blassius[3]) plurima ac summa eius commentarioli ad Caecilium esse referenda, quamvis nomen rhetoris non commemoratum esset: quam si acceperimus coniecturam, temporis quoque definitionem illam

[1]) vit. x oratt. p. 833 D. *Ψήφισμα καθ' ὃ ἔδοξεν Ἀντιφῶντα κριθῆναι ὁ Καικίλιος παρατίθεται. Ἔδοξε τῇ βουλῇ κ. τ. λ.* Ex Crateri decretorum collectione (cf. Harpocrat. s. v. *Ἀνδρων*) hoc desumptum esse Westermannus suspicatus est (praef. ad Psplut. vit. x orr. p. 11) secutus Beckerum; quorum sententiis assentitur Wilamowitzius, Philol. Unters. I. p. 70. cf. Krechius, de Crateri *ψηφισμάτων συναγωγῇ* diss. Berol. 1888. p. 20.

[2]) Accedit in fine Psplut. vitarum psephisma Democharis in honorem Demosthenis scriptum, quod cum et ipsum depromptum videatur ex Crateri collectione, quin Caecilius eius rationem habuerit in vita Demosthenis describenda, non facile dubitas. Sed cf. Krech. l. l. p. 19. 20.

[3]) Blass, Att. Ber. III, 1 p. 5 sq. p. 7 sq.

UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Caecilio tribuemus, qua Demosthenis annus natalis constituitur Ol. 98, 4, archonte Dexitheo (385/4).[1]) Hanc autem anni computationem dignam esse, cui fidem habeamus, multorum iudiciis nostrae aetatis virorum doctorum, qui de Demosthenis natali anno quaestionem retractaverunt, satis comprobatur, cum alii annum a Caecilio constitutum servent, alii proxime ad eum accedant[2];) at perpauci exstiterunt, qui defenderent Dionysii sententiam. Is enim in epistulae ad Ammaeum primae cap. 4. Demosthenem Ol. 99, 4 (381/80) natum esse dicit, quem annum non tam ipsum Dionysium ex ipsis orationibus Demosthenicis computasse quam ab auctoribus suis receptum in epistulam transtulisse coniceres ex eiusdem ad Ammaeum epistulae verbis paulo supra scriptis cap. 3: „*ἀνάγκη δ' ἴσως πρῶτον ὅσα παρέλαβον ἐκ τῶν κοινῶν ἱστοριῶν, ἃς κατέλιπον ἡμῖν οἱ τοὺς βίους τῶν ἀνδρῶν* (sc. *Δημοσθένους καὶ Ἀριστοτέλους*) *συνταξάμενοι, προειπεῖν.*“ At quinam fuerunt biographi illi, quorum ad opera illis temporibus patebat omnibus facillimus aditus? Nominantur a Dionysio praeter optimam sane Atthidem Philochori et Demetrii Phalerei scripta de Demosthene Hermippi Callimachei libri *περὶ τῶν Ἰσοκράτους μαθητῶν* et Demetrii Magnetis opus *περὶ ὁμωνύμων*;[3]) neque tamen ei placuisse neque suffecisse scriptores illos in omnibus rebus manifestum est.[4]) At profecto si Caecilii ulla commen-

[1]) Psplut. de vit. x orr. p. 845 D. *ἑπτὰ δὲ καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονὼς λογιζόμενος ἀπὸ Δεξιθέου εἰς Καλλίμαχον, ἐφ' οὗ παρ' Ὀλυνθίων ἦκε πρεσβεία . . . ἔπεισεν ἐκπέμψαι τὴν βοήθειαν.*

[2]) cf. Schäfer, *Dem. u. s. Zeit* III B p. 38 sq.; Blass. Att. Ber. III, 1 p. 7 sq.

[3]) Quo ex libro *π. ὁμωνύμων* Demetrii sumpsisse Dionysium illa, quae de Aristotelis et Demosthenis vitis tradiderit, verisimile esse putat Dielsius N. Rh. Mus. 41. p. 43. Tempora autem ipsa referenda esse ad Apollodori Chronica idem eodem loco evicit.

[4]) Commemoratur Philochori historia Attica de Din. c. 4. p. 635; ib. c. 13. p. 666; ad. Amm. I. c. 9. p. 734; c. 11. p. 741. Demetrium Phalereum vitam Demosthenis scripsisse elucet e comm. de Dem. c. 53. p. 1118. De Hermippo cf. de Isaeo c. 1 p. 588: *γενέσεως δὲ καὶ τελευτῆς τοῦ ῥήτορος ἀκριβῆ χρόνον εἰπεῖν οὐκ ἔχω οὐδὲ περὶ τοῦ βίου τοῦ ἀνδρὸς οἵους τις ἦν. οὐδὲ περὶ τῆς προαιρέσεως τῶν πολιτευμάτων*

tatio de oratoribus exstitisset eis temporibus, quibus scripturus erat epistulam ad Ammaeum I., hac recentissima et optima τῶν κοινῶν ἱστοριῶν diligenter usus esset neque ei scribendum fuisset in commentario de Dinarcho: „quae de vita oratoris apposita essent, sibi ipsi fuisse colligenda“ [1]) neque in libro de Isaeo conquestus esset, quod de vita scriptoris nihil scripti inveniretur neque silentio praeteriisset Caecilii de Demosthenis natali anno rationem, immo praetulisset sine dubio accuratiorem illam vitiosae suae, praesertim cum plus faceret ad id quod demonstrare studuit. Nam cum id ageret in epistula ad Ammaeum, ut refutaret Peripateticorum sententiam, qua Demosthenem Aristotelis discipulum fuisse dicerent, gravissimum ei licuit argumentum capere ex illa, quippe qua Demosthenem vel paulo aetate maiorem profiteri potuit quam Aristotelem, qui anno 384/3 natus est. Quam computationem si neglexisset cognitam suae ipse argumentationi obfuisset: quare quoniam alia eum ratione usum esse in venimus atque ea quidem, qua Demosthenem tribus annis minorem Aristotele fuisse pateret, eodem iterum ducimur, ut Dionysium per aliquantum temporis nec Caecilium ipsum nec scripta eius novisse censeamus. Id quod magis confirmari videtur ea re, de qua iam sum disputaturus.

Tradit enim Pseudoplutarchus Caecilium coniecisse ex insignibus laudibus, quibus praeter morem Thucydides effert Antiphontem (VIII, 68), rhetorem hunc historici fuisse ma-

---

οὐδὲ ἀρχὴν, εἰ προείλετό τινα πολιτείαν. οὐδ' ὅλως περὶ τοιούτων οὐδενὸς διὰ τὸ μὴ περιτυγχάνειν ἱστορίᾳ. οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς Ἰσοκράτους μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἴρηκεν ἔξω ὧν τούτων ὅτι κ. τ. λ. Demetrii Magnetis locum vituperatis paulo ante Callimacho et grammaticis Pergamenis, exscripsit Dion. de Din. c. 1. p. 631: deinde hoc modo pergit dicere c. 2: ἐκ τούτων οὐδὲν ἔστιν οὔτε ἀκριβὲς ἀλλ' οὔτε ἀληθὲς εὑρεῖν. οὔτε γὰρ γένος τἀνδρός οὔτε χρόνους, καθ' οὓς ἦν, οὔτε τόπον, ἐν ᾧ διέτριψε δεδήλωκεν (sc. ὁ Δημήτριος), ὀνόματα δὲ μόνον κοινὰ καὶ περιτρέχοντα ἐσπούδακεν. Quae sequuntur verba lacunosa sunt.

[1]) de Din. c. 2. p. 633: ἃ οὖν ἐγὼ αὐτὸς δι' ἐμαυτοῦ κατελαβόμην ταῦτ' ἐστίν. Δεινάρχους ὁ ῥήτωρ κ. τ. λ.; sequitur vita.

gistrum;[1]) quae coniectura Caecilii auctoritate firmata tantum apud insequentis aetatis rhetores valuit, ut pro vero eam acciperent.[2]) Secunda autem fortuna cum nobis Dionysii quae de Thucydide composuit tria scripta servata sint, iure miramur, quod ne uno quidem loco opinionem illam Caecilii commemoraverit facultate saepe data aut probandi aut refellendi. Accurate enim disseruit de elocutione Thucydidea in libelli de Thucyd. cap. 24. et in epistulae ad Ammaeum alterius cap. 2: quibus locis inter eos, qui ad compositionem Thucydidis aliquid attulerint, neminem refert nisi Gorgiam Leontinum et *τοὺς περὶ Πῶλον καὶ Λικύμνιον*. Neque vero desunt loci in libris Dionysianis, quibus una cum Thucydide Antiphon nominetur, sed tamen ita, ut quam rationem inter utrumque scriptorem statuisset Caecilius Dionysium non novisse facile intellegas.[3]) At vero non fugit eum similitudo illa, quae apparet in Antiphontis et Thucydidis elocutione;[4]) cui explicandae cum optime convenisset amici coniectura, certe nullo modo eam neglexisset, si fuisset nota.

Sed mitlamus haec Dionysii et Caecilii studia, quae ad vitas oratorum pertinent: iam artis criticae quae exstant utriusque rhetoris monumenta diligentius perscrutemur. Dionysius autem quanti artem criticam aestimaverit, ex ipsius verbis conspicere licet: „*διορίσαι τούς τε γνησίους καὶ ψευδεῖς λόγους πάντων ἢ τῶν γε πλείστων ἀναγκαιότερον οἶμαι τοῖς μὴ ἐκ περιζώματος ἀσκοῦσι ῥητορικὴν*“ (de Din. c. 1. p. 630.): quod cum sentiret, quin quam accuratissime inspexerit opera eorum, qui in oratorum scripta ante se critico studio in-

[1]) vit. X orr. p. 832 E. (Burckh. frg. 1.) *Καικίλιος δὲ ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ συντάγματι Θουκυδίδου τοῦ συγγραφέως μαθητὴν* (*καθηγητὴν* coni. Wyttenbach) *τεκμαίρεται γεγονέναι ἐξ ὧν ἐπαινεῖται παρ᾽ αὐτῷ ὁ Ἀντιφῶν.*

[2]) Hermog. *π. ἰδεῶν β.* rhett. gr. II. p. 414 Speng.; Tryphon III, 201 Speng. (IX, 750 Walz = VII, 26.) Suid. s. v. *Θουκυδίδης*; Marcellin. vit. Thuc. § 22. cf. Wilamowitz. Herm. XII. p. 335.

[3]) de Thucyd. c. 51 p. 941; c. 53 p. 944.

[4]) de comp. verb. c. 10. p. 52. *ἡ δὲ Θουκυδίδου λέξις καὶ ἡ Ἀντιφῶντος τοῦ Ῥαμνουσίου καλῶς μὲν σύγκειται, νὴ Δία, εἴπερ τινὲς καὶ ἄλλαι, οὐ μὴν ἡδέως γε πάνυ.* cf. de comp. verb. c. 22. p. 150 sq.

cubuissent, nemini erit dubium. At tamen si ipsius Dionysii scripta excusserimus, ut quos maxime auctores in diiudicandis orationibus rhetor secutus sit cognoscamus, neque multos neque graves inveniemus scriptores. Nam qui saepius nominantur Callimachi et Pergamenorum grammaticorum tabulae[1]) ut levissime compositae multisque iudicii vitiis imbutae nonnumquam ab ipso Dionysio acriter vituperantur; aliorum autem scriptorum cum iudicia critica in orationes adhibita non nisi *παρέργως* apud Dionysium occurrant,[2]) non audacius nobis iudicasse videmur artem criticam ratione et via excultam nondum fuisse ante Dionysium et Caecilium.[3]) Iam vero cum id agamus, ut horum rhetorum uter prior criticis studiis se dederit ostendamus, faciamus Caecilium Dionysio aetate antecessisse — quid? acerrimi auctoris iudicia num putabimus Dionysium, cum et ipse haec studia tractaret, plane ne-

---

[1]) Dion. de Din. c. 1. p. 630. *Εἰδὼς οὐδὲν ἀκριβὲς οὔτε Καλλίμαχον οὔτε τοὺς ἐκ Περγάμου γραμματικοὺς περὶ αὐτοῦ συγγράψαντας κ. τ. λ.*; cf. de Din. c. 10. p. 653; de Demosth. c. 13. p. 994; de Isaes c. 6. p. 594; ad Amm. ep. I. c. 4. p. 724: *οἱ τοὺς ῥητορικοὺς πίνακας συγγράψαντες*; de Din. c. 11. p. 661: *ἐν τοῖς Περγαμηνοῖς πίναξι.*

[2]) Velut iudicium Demetrii Magnetis de oratione Dinarchi contra Demosthenem, Dion. de Din. c. 1 p. 631; cf. de Din. c. 6 p. 640 sq.

[3]) Non mirum videtur quod illud ipsum „*τὸ διορίσαι τούς τε γνησίους καὶ ψευδεῖς λόγους*“ in Callimachi pinacibus non invenit Dionysius. Neque enim Callimacho tanto bibliothecae administrandae munere functo, cum ingentis librorum multitudinis maximam partem confusae atque incompositae ordines atque catalogi essent conficiendi, accuratius inquirere licuit, quo quisque iure liber ei, cuius esse ferebatur, auctori esset tribuendus: in eo acquiescendum ei erat, ut quos apud priores omnes scriptores auctorum inveniebat titulos componeret et cum eis, qui ipsius temporibus maxime vigebant, conferret (Diels. in Herm. vol. XXII. p. 414). Quae iudicia ad usum bibliothecarum composita non potuisse satisfacere Dionysio satis perspicitur; hinc ergo vituperatio pinacis Callimachei, quod in eo inesse vidit *οὐδὲν ἀκριβές*. Verum idem, quod de Callimachi opere diximus, valet in Pergamenos grammaticos quorum tabulas, quibus inprimis orationis pedestris scriptorum rationem habebant, non minus acerbe quam Callimachi carpit Dionysius. Quibus tabulis cum tamen Dionysius uti cogeretur, iure coniceres, eiusmodi scripta, quibus de scriptis auctorum, genuina an falsa essent, accuratius dissereretur, frustra ab eo esse quaesita: quae si exstitissent, vix fugissent hominem eruditissimum.

glexisse? Acuti enim critici munere Caecilium esse functum compluribus fragmentis comprobatur;[1]) attamen neglexisse, immo non novisse Dionysium studia eius critica non inde, quod in paucis illis, quae supersunt, Dionysii scriptis criticis nomen Caecilii nunquam commemoratur, sed duobus gravioribus argumentis me evicturum esse spero. Quorum primum nititur testimonio Libanii. Is enim ad orationem *περὶ Ἁλοννήσου*, postquam causas exposuit, cur Demostheni haec oratio non sit tribuenda, haec adnotat (p. 75; frg. 18 Burckh.): *ὑπώπτευσαν δὲ καὶ οἱ πρεσβύτεροι τὸν λόγον ὡς οὐ τοῦ ῥήτορος καὶ πεφωράκασί γέ τινες ὄντα Ἡγησίππου καὶ ἀπὸ τῆς ἰδέας τῶν λόγων (τοιαύτῃ γὰρ κέχρηται) καὶ ἀπὸ τῶν πραγμάτων κ. τ. λ.* Jure autem Burckhardtius suspicatus est (l. l. p. 35.) Libanio, cum nominaret *τοὺς πρεσβυτέρους*, ante oculos maxime obversatum esse Caecilium; Dionysium enim iudicii auctorem non habendum esse, qui, quamvis orationem de Halonneso a ceteris valde diversam esse non ignoraret, tamen non abiudicasset a Demosthene.[2]) Atque commemorat Dionysius orationem *περὶ Ἁλοννήσου* tribus locis, quorum primus exstat in epistula ad Ammaeum I. c. 10. p. 737; alter de Demosth. c. 9. p. 981. sq.; tertius de Demosth. c. 13. p. 993: quibus locis sane apparet Dionysium, num Demostheni esset tribuenda oratio illa Lysiacum magis quam Demosthenicum dicendi genus ostendens, ne minimum quidem addubitasse. Quod si recte censuit Burckhardtius Caecilium Hegesippi esse orationem illam primum cognovisse sententiamque suam certis argumentis aestheticis et criticis confirmasse, num dubitari potest, quin Dionysius, si aetate Caecilio inferior fuisset, familiaris sui opinionem de oratione illa aut recepturus aut defensurus fuerit? At quod ne uno quidem verbo Caecilii perstrinxit sententiam satis mihi documento esse videtur eis temporibus, quibus Dionysius scripturus erat commentarios de Demosthene neque studia Caecilii in

[1]) Burckh. frgg. 1—3, 6—11, 13—20, 22, 23.

[2]) Libanium inter vetustiores illos homines criticos maxime respexisse Caecilium iam Voemelius coniecerat in prolegg. ed. suae 1833 p. 23. v. Schaefer, *Dem. u. s. Zeit* II[1] p. 413 n. 1. (II[2] 441 n. 1.), Rehdantz-Blass, *9 philipp. Reden: II. Heft I. Abt. p. 53.*

publicum esse prolata nequedum ipsum Caecilium in Dionysii familiaritatem esse receptum.

Dioysium igitur quoniam neque in biographicis neque in criticis rebus Caecilii studiorum ullam rationem habuisse demonstravimus, iam contueamur alterum testimonium atque id gravius, quippe ex quo Caecilium Dionysii studia respexisse satis mihi elucere videatur. Traduntur enim a schoelasta orationum Demosthenis haec ad Olynthicam orationem secundam (Schol. ed. Dind. Oxon. 1851 p. 71. Burckh. frg. I7a.): *τοῦτον Διονύσιος προτάττει τῶν Ὀλυνθιακῶν ἀρχοντάς τέ τινας καταλέγων καὶ ἐκ τοῦ προοιμίου πιστούμενος ἐκ περιχαρείας ληφθέντος. Καικίλιος δὲ ἀντιλέγει πρῶτον ἀξιῶν τὸν πρῶτον νομιζόμενον.* Impugnavit ergo Caecilius sententiam Dionysii: at contra dicendi ei tum demum occasionem esse oblatam, cum in medio posuisset Dionysius opinionem a vulgari orationum recensu abhorrentem, per se patet. Atque mutati quidem ordinis primam a Dionysio mentionem factum esse invenimus in epistulae ad Amm. I. cap. 4.[1]) Neque vero causas hoc loco apposuit, quibus ad ordinem commutandum adductus esset; sed quam paucissimis verbis atque ita de hac re egit, ut causas illas discipulis et familiaribus suis iam traditas cognitasque fuisse facile intellegatur. Jam vero inde ab hoc tempore immota stetit atque intemptata Dionysii sententia et accepta fuisse videtur per omne tempus quodcunque consumpsit in scribendis commentariis de Lysia, de Isocrate, de Demosthenis vi dicendi; iterum deinde atque fusius sententiam suam proposuit in peculiari libro de Demosthenis orationibus genuinis et spuriis conscripto.[2]) Atque post hunc demum

[1]) *Ἐπὶ δὲ Καλλιμάχου — τρεῖς διέθετο δημηγορικοὺς, παρακαλῶν Ἀθηναίους βοήθειαν Ὀλυνθίοις ἀποστεῖλαι — πρῶτον μὲν οὖ ἐστιν ἀρχή: „Ἐπὶ πολλῶν μὲν ἰδεῖν ἄν τις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δοκεῖ μοι.“ δεύτερον δὲ: „Οὐχὶ ταὐτὰ παρίσταταί μοι γιγνώσκειν, ὦ. ἄ. Ἀ.“ τρίτον δὲ: „Ἀντὶ πολλῶν ἄν, ὦ. ἄ. Ἀ., χρημάτων.“*

[2]) Blass. de script. rhett. pag. 14. Roessler l. l. p. 18 n. 1. Librum de Demosth. orationibus genuinis et falsis compositum scholiastam inspexisse inde patet, quod Dionysium dicit iudicasse „*ἄρχοντάς τέ τινας καταλέγοντα καὶ ἐκ τοῦ προοιμίου πιστούμενον ἐκ περιχαρείας ληφθέντος.* Quorum argumentorum in eis, quae nobis servata sunt, Dionysii scriptis Demosthenicis nulla inveniuntur.

libellum editum Caecilius exstitit Dionysii opinionis adversarius (*ἀντιλέγει*) ordinemque pristinum reducere studuit. Verum si iam ante ea tempora, quibus debemus ad Ammaeum epistulam, Caecilius aetate Dionysio maior criticis studiis fuisset deditus, si iam tum amicitia fuisset cum eo coniunctus, quin sententiam familiaris ex colloquio vel recitatione statim compertam allatis causis quam primum impugnaturus fuerit, mihi quidem vix dubium esse videtur. Controversia igitur esset exorta iam tum inter Caecilium et Dionysium: cuius vestigia cum neque in epistula ad Ammaeum neque in verbis scholiastae ulla appareant, facile ad eam deducimur sententiam, ut Caecilium per temporis quoddam intervallum Dionysio ignotum multo post hunc in aesthetica et critica studia ineubuisse censeamus.

Arte autem critica cum, quid singulis oratoribus tribuendum esset, Dionysius et Caecilius constituissent, iam firma usi iudicandi norma proprium adierunt munus, quo quidem inquirentes in varia oratorum dicendi genera quid in unoquoque maxime esset imitandum proponerent. Quorum studiorum cum Dionysii magna et egregia monumenta extent, Caecilii vix unum alterumve fragmentum servatum est: sed quamvis paucae, quamvis pusillae sint particulae istae, tamen non nihil valent ad quaestionem nostram solvendam. Ac primo quidem conspectu quod tradit Pseudolonginus graviter Caecilium invectum esse in Platonem bene congruere videtur cum Dionysii vituperatioue Platonicae elocutionis; at tamen magnum discrimen inter utriusque rhetoris iudicium interesse arbitror. Nam modica quadam Platonis reprehensione usus est Dionysius atque ea in paucis quibusdam partibus operum Platonicorum, in quibus sublimitatem captare voluisset philosophus verbis ornatis et in poetarum morem conversis; in reliquis autem, praecipue in dialogis summis laudibus effert Platonem et dictionem eius comparat purissimo fonti[1]) et loco

[1]) Ep. ad Cn. Pomp. c. 2 p. 758: (*ἡ δὲ Πλάτωνος διάλεκτος*) *ἐκτόπως ἡδεῖά ἐστι καὶ φιλάνθρωτος. καθαρά τε γὰρ ἀποχρώντως γίνεται καὶ διαυγὴς ὥςπερ τὰ διαφανέστατα τῶν ναμάτων.* cf. de Dem. c. 5 p. 964.

florido,[1]) quin in multis rebus Demosthenicae parem esse[2]) censet. At ut cognoscamus, quid Caecilius de Platone senserit, audiamus ipsum Pseudolonginum (*π. ὕψους* 32, 5. p. 50 ed. Vahl.; Burckh. frg. 24) (*ὁ Καικίλιος*) *ἀπεθάῤῥησε τῷ παντὶ Λυσίαν ἀμείνω Πλάτωνος ἀποφήνασθαι δυσὶ πάθεσι χρησάμενος ἀκρίτοις. φιλῶν γὰρ τὸν Λυσίανὡς οὐδ' αὐτὸς αὑτὸν ὅμως μᾶλλον μισεῖ τῷ παντὶ Πλάτωνα ἢ Λυσίαν φιλεῖ.*[3]) Quae verba etsi non sine ira et studio prolata esse videntur, tamen satis docent modum excessisse Caecilium et nimis inique et infense iudicasse. Quodcum in Caecilio desideretur Dionysii moderatio illa, maturi consummatique iudicii signum, aequiperatum eum velim discipulo iuveniliter exsultanti, qui nova iudicia a magistro recepta non tam ipsius studiis probare atque excolere quam conviciis confirmare studuerit. Quare ex iudicii temeritate conicias Caecilium annis Dionysio fuisse minorem: quae coniectura quamquam est satis debilis, tamen eo confirmari videtur quod in epistula ad Cn. Pompeium, qua Caecilii Dionysius mentionem facit, inter Platonis vituperatores initio epistulae enumeratos[4]) acerbissimum illum, ipsius amicum, non nominavit. At profecto eum vix praeter-

---

[1]) de Dem. c. 32. p. 1056: *καί μοι δοκεῖ τις οὐκ ἂν ἁμαρτεῖν τὴν μὲν Πλάτωνος λέξιν εἰκάσας ἀνθηρῷ χωρίῳ καταγωγὰς ἡδείας ἔχοντι καὶ τέρψεις ἐψημέρους;* cf. ib. c. 51. p. 1112: *ὁρῶν . . Ἰσοκράτην καὶ Πλάτωνα γλυπτοῖς καὶ τορευτοῖς ἐοικότας ἐκφέροντας λόγους.*

[2]) de comp. verb. c. 19. p. 133: *παράδειγμα δ' αὐτῆς* (sc. *τῆς κρατίστης λέξεως*) *ποιοῦμαι πᾶσαν μὲν τὴν Ἡροδότου λέξιν, πᾶσαν δέ τὴν Πλάτωνος, πᾶσαν δὲ τὴν Δημοσθένους;* cf. ib. c. 24. p. 187; ib. c. 18. p. 117: *ὁ γὰρ ἀνὴρ εὐμέλειαν καὶ εὐρυθμίαν συνιδεῖν δαιμονιώτατος καὶ εἴ γε δεῖνὸς ἦν οὕτως ἐκλέξαι τὰ ὀνόματα ὡς συνθεῖναι περιττός: „καί νύ κεν ἢ παρέλασσε" τὸν Δημοσθένην κάλλους ἑρμηνείας ἕνεκα „ἢ ἀμφορίστον ἔθηκε κ. τ. λ.* Multas virtutes perpauca vitia apud Platonem inveniri Dion. dicit in ep. ad Pomp. c. 2. p. 768.

[3]) Pseudolongini illud „*τῷ παντί*" non accipiendum esse nisi de elocutionis virtutibus nemo negabit, cum in Photio (cod. 262. p. 489 b; fg. 9 Bckh.) appareat Lysiam a Caecilio vituperatum esse, quod res bene inventas bene disponere (*οἰκονομῆσαι*) non posset. De elocutionis autem virtutibus Caecilium iniuste et infense Platonem carpsisse non dubito e Pseudolongini verbis conicere.

[4]) ep. ad Cn. Pomp. c. 1. p. 757.

misisset, si auctoritate florens Caecilius iam pridem in Platonem esset invectus.

Multo autem clarius quam in iudiciis de Platonis elocutione, quae, cum Lysianae simplicitatis nimium prae se ferant amorem, non aliena fuisse videntur ab affectata quadam et inepta summi philosophi cavillatione, Caecilii iudicandi specimen nobis servatum est in Photii bibliothecae cod. 259 (p. 485b Bekk.; frg. 5 Burckh.): quo in fragmento a viris doctis propter elegantiam laudato Caecilius, cur Antiphontis sermonem nominaverit *ἀσχημάτιστον*, hoc modo explicat: „*οὐ τοῦτο λέγω, φησίν, ὡς οὐδὲν εὑρίσκεται διανοίας παρὰ Ἀντιφῶντι σχῆμα. καὶ γὰρ ἐρώτησίς που καὶ παράλειψις καὶ ἕτερα τοιαῦτα ἔνεισι αὐτοῦ τοῖς λόγοις. ἀλλὰ τί φημι; ὅτι μὴ κατ' ἐπιτήδευσιν μήτε συνεχῶς ἐχρήσατο τούτοις, ἀλλ' ἔνθα ἂν ἡ φύσις αὐτὴ μεθοδείας τινὸς χωρὶς ἀπῆγεν. ὃ δὴ καὶ περὶ τοὺς τυχόντας τῶν ἰδιωτῶν ἔστιν ὁρᾶν: διὰ τοῦτο, καὶ ὅταν τις ἀσχηματίστους εἶναι λέγῃ λόγους, οὐ καθάπαξ οἰητέον τῶν σχημάτων αὐτοὺς ἀπεστερημένους εἶναι (τοῦτο γὰρ ἀδύνατον), ἀλλ' ὅτι τὸ ἐμμέθοδον καὶ συνεχὲς καὶ ἐρῳωμένον τῶν σχημάτων οὐκ ἔστιν ὁρώμενον ἐν αὐτοῖς.*“ Quae verba Quintilianus sine dubio respexit ita dicens IX, 1, 18: „si habitus quidem et quasi gestus sic appellandi sunt: id demum hoc loco accipi schema oportebit, quod sit a simplici atque in promptu posito dicendi modo poetice vel oratorie mutatum. Sic enim verum erit, aliam esse orationem *ἀσχημάτιστον*, id est carentem figuris, quod vitium non inter minima est, aliam *ἐσχηματισμένην*, id est figuratam (Burckh. frg. 42.).“ Atque hanc figurae definitionem cum ea, quaeso, compares, quam ex libro de figuris depromptam tradit Phoebammon (Rhett. gr. III, 44 Speng.; Burckh. frg. 41): *Καικίλιος δὲ ὁ Καλακτίτης ὡρίσατο οὕτως: σχῆμά ἐστι τροπὴ εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸ τῆς διανοίας καὶ λέξεως*: iam videbis alteram ab altera adeo esse diversam, ut variis temporibus, mutatis studiis, unamquamque exortam esse conicias. Eam autem definitionem, quam Phoebammon tradit, eis temporibus esse prolatam, cum Caecilius disciplinam Apollodori secutus rebus mere technicis se daret, et aptissime compositam esse ad figuras quaslibet distinguendas et colligendas satis mihi supra (p. 11 sq.)

exposuisse videor neque Martensii[1]) sententiam probare possum, qui l. l. p. 14 n. 2 mancam hanc definitionem supplendam esse censet ex Tiberio (p. 39, 6): „*τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸν νοῦν ἐκφέρειν μηδὲ ἐπ' εὐθείας ἀλλ' ἐκτρέπειν καὶ ἐξαλλάσσειν τὴν διάνοιαν κόσμου τινος τῇ πλάσει ἢ χρείας ἕνεκα κ. τ. λ.*“ Nam ea forma, qua tradita est, definitionem illam e Caecilii libro sumptam esse neque quidquam excidisse ex insequentibus verbis Phoebammonis elucet, qui et ipse in ea offendebat, cum hoc modo dicere pergeret: „*τὸ οὖν μὴ κατὰ φύσιν οὐ καλόν, τὸ δὲ (μὴ καλὸν) τροπή ἐστιν ἐπὶ τὸ χεῖρον.*[2]) Alteram autem definitionem ex studiis aestheticis fluxisse manifestum est. Nam qui antea qualemcunque sermonis flexum forte a simplici oratione abhorrentem inter figuras rettulerat rhetor iam ad oratores percensendos aggressus, cum singulorum opera pertractasset cognovissetque vetustiores quoque oratores et in excultae eloquentiae artibus rudes, etsi permultis figurarum generibus carerent, tamen quibusdam saepius uti, eo facile adductus est, ut comptae et ornatae orationis normam non figuras ipsas statueret saepissime genuinae eloquentiae impetu quodam prolatas, sed, quo evaderet arte et consilio eas esse adhibitas, *τὸ ἐμμέθοδον*. Artem igitur et consilium num in sententiae figuris adhibuissent, cum in singulis oratoribus diligenter perquireret, non solum Antiphontem *ἀσχηματίστῳ* oratione usum esse videtur statuisse, sed etiam Andocidem, Lysiam, si quidem iure ad Caecilium revocandum erit fragmentum illud, quo Isaeum primum orationem figuris artificiose ornasse

[1]) Errasse mihi videtur Martensius Quintilianum, Tiberium, ceteros, sine dubio Caecilii de figuris libellum secutos esse ratus (l. l. p. 14. n. 1.). Apparet enim mea quidem sententia ex comparatione locorum, quos supra posui, Quintilianum rationem habuisse libri Caecilii de decem oratt. scripti: quem notum ei fuisse inde quoque concludas, quod canonem decem oratt. aperte nominet X, 1, 76.

[2]) Apud Dionys. vox *ἀσχημάτιστος*, ni fallor, uno loco occurrit libri secundi *π. μιμήσεως*, quem transtulit ipse scriptor in epistulan ad Cn. Pomp. c. 5. p. 781. Neque vero eo sensu vocem usurpare videtur Dionysius quo Caecilius. Opponitur enim Thucydidis dictio cum elocutione Philisti hoc modo: *ἡ μὲν γὰρ* (sc. *Θουκυδίδου*) *πλήρης σχημάτων . . . ἡ δὲ Φιλίστου φράσις ὁμοειδὴς πᾶσα δεινῶς καὶ ἀσχημάτιστός ἐστιν.*

traditur[1]) neque dubium erit, quin figurarum scitam collocationem respiciens tanquam iudicandi normam cum in aliis tum in ornamentis optime in orationes inserendis Demosthenem summum praedicaverit artificem. Sed licet concesserit Caecilius ad summam absolutionem et perfectionem eloquentiam ab ipso Demosthene esse productam, tamen non puto clarissimi oratoris dicendi genus eum imitandum proposuisse, cum Demosthenis eloquentia nimiam desideraret artem, Caecilium autem ab omni arte abhorruisse neque eloquentiae genus nisi genuinae et simplicissimae laudasse ex eis quas Pseudolonginus e Caecilii libello *π. ὕψους* tradidit reliquiis satis mihi apparere videatur.

Libelli enim Caeciliani *περὶ ὕψους* compositi argumentum recte mihi restituisse videtur Martensius, qui dixit „Caecilium virum acri ingenio praeditum et artis criticae usu diuturno ad severitatem pronum falsam sublimitatem et artificiis quaesitam acerbe exagitasse praeque genuino candore plane contempsisse (l. l. p. 9)." Neque enim Timaei solum affectatam et frigidam elocutionem multis exemplis illustrasse et acriter vituperasse[2]) eum accepimus, sed etiam quodcunque verbum audacius dictum eum condemnasse velut Theopompi illud *ἀναγκοφαγῆσαι*;[3]) neque retineri potuisse videtur, quin in isto

[1]) Psplut. vit. X oratt. p. 839 F. (frg. 11 Burckh.) *πρῶτος δὲ καὶ σχηματίζειν ἤρξατο καὶ τρέπειν ἐπὶ τὸ πολιτικὸν* (non inepte Burckh. coniecit *ἐπὶ τὸ πληκτικὸν*) *τὴν διάνοιαν, ὃ μάλιστα μεμίμηται ὁ Δημοσθένης.*

[2]) Pslong. *π. ὕψους* c. 4, 1; p. 6. sq. Vahl.: *θατέρου δὲ, ὧν εἴπομεν, λέγω δὲ τοῦ ψυχροῦ, πλήρης ὁ Τίμαιος κ. τ. λ. . . . παραθήσομαι δὲ τἀνδρὸς ἓν ἢ δύο, ἐπειδὴ τὰ πλείω παρέλαβεν ὁ Κεκίλιος*: Satis probabiliter mihi Rothsteinius, Herm. 23. p. 2, demonstrasse videtur in vituperandis orationis eis vitiis, quae vocat *τὸ οἰδοῦν* et *τὸ μειρακιῶδες* Pseudolonginum secutum esse disputationis ordinem, quem in suo libello instituerat Caecilius; ipsum vero quae de tertio vitio, quod vocatur *τὸ παρένθυρσον*, disseruntur, de suo addidisse. Quod si recte iudicavit Rothst., Caecilii fuisse videtur Aeschyli vituperatio, cuius verba quaedam nimis audacia carpit ut *παρατράγῳδα* Pslonginus.

[3]) Pslong. *π. ὕψ.* c. 31, 1. p. 45: *ταύτῃ καὶ τοῦ Θεοπόμπου καινὸν ἐπαινετέον. διὰ τὸ ἀνάλογον ἔμοιγε σημαντικώτατα ἔχειν δοκεῖ.*

libello Platonis elocutionem eodem modo cavillaretur quo in commentario de Lysia conscripto. Atque ut in hoc commentario de Lysia conscripto Platoni omnino anteposuit Lysiam, ita in libello quoque de sublimitate composito incomptae mediocritatis accerrimus exstitit patronus.[1]) Nam metaphorarum usum non nisi perrarum admisisse Caecilium dicit Pseudolonginus;[2]) idemque sublimitatis quinque enumerans causas de nonnullis velut de affectibus omnino eum non egisse[3]) tradit. Neque iniuria mihi Blassius coniecisse videtur praeter affectus figuras quoque ab eo esse omissas,[4]) quas tertiam causam

---

ὅπερ ὁ Κεκίλιος οὐκ οἶδ' ὅπως καταμέμφεται. „δεινὸς ὤν, φησί, ὁ Φίλιππος ἀναγκοφαγῆσαι (τὰ) πράγματα.

[1]) Martens l. l. p. 7. sq.

[2]) Pslong. *π. ὕψ.* c. 32. p. 46: *περὶ δὲ πλήθους καὶ (τόλμης) τῶν μεταφορῶν ὁ μὲν Κεκίλιος ἔοικε συγκατατίθεσθαι τοῖς δύο ἢ τὸ πλεῖστον τρεῖς ἐπὶ ταὐτοῦ νομοθετοῦσι τάττεσθαι.*

[3]) *π. ὕψ.* c. 8. p. 11: . . . *τοσοῦτον προειπόντες, ὅτι τῶν πέντε μορίων ὁ Κεκίλιος ἔστιν ἃ παρέλιπεν, ὡς καὶ τὸ πάθος ἀμέλει.*

[4]) „Blass. Gr. Ber. p. 202 n. 2. *„Liess er noch mehr aus, so können dass nur die σχήματα gewesen sein, die sich unter der σύνθεσις subsummieren liessen."* Qui fuerint fontes illi sublimitatis, quos Caecilium neglexisse dicit Pslonginus, non nisi coniecturis dubiis suspicari licet Atque Rothsteinius quidem l. l. p. 15 sq. Caecilium quem primo loco posuit fontem Pseudolong. *τὸ μεγαλοφυὲς* omisisse dicit, cum figuras Caecilium tractasse satis appareat, quoniam in illis ipsis tractandis Pseudol. secutus sit Caecilii de figuris disputationem. Cui disputationi Blassii sententiam praeferre non dubito; nam in libro, quo de sublimitate agebat, Caecilium primum illud atque gravissimum, *τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἀδρεπήβολον* praetermisisse ut censeam nullo modo mihi persuadere possum. Neque vero prorsus figuras Caecilium neglexisse puto neque *τὸ πάθος*: quae sententia mihi videtur aliquantum comprobari eis verbis, quibus Pseudolong. ad figuras tractandas transit c. 16, 1. p. 31: *Αὐτόθι μέντοι καὶ ὁ περὶ σχημάτων ἐφεξῆς τέτακται τόπος. καὶ γὰρ ταῦτ', ἂν ὧν δεῖ σκευάζηται τρόπον, ὡς ἔφην, οὐκ ἂν ἡ τυχοῦσα μεγέθους εἴη μερίς*: Coniceres inde Caecilium tractasse figuras, at non iusta ratione. Iam vero cum de figuris accurate disputare longum sit, pauca se allaturum esse dicit, quae maxime facerent ad sublimitatem; deinde pergit: *„ἀπόδειξιν ὁ Δημοσθένης ὑπὲρ τῶν πεπολιτευμένων εἰσφέρει. τίς δ' ἦν ἡ κατὰ φύσιν χρῆσις αὐτῆς; „οὐχ ἡμάρτετε, ὦ. ἄνδρες Ἀθην., τὸν ὑπὲρ τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίας ἀγῶνα ἀράμενοι κ. τ. λ."* Atque iam Martensius

sublimitatis posuit Pseudolonginus. Nam in figuris Caecilium voluisse artem inesse et consilium supra demonstravimus; ipsum vero in libello π. ὕψους sublimitatem nulla arte comparari posse claris verbis edixisse satis mihi e Pseudolongini verbis effici videtur hisce (π. ὕψ. c. 2, 1 p. 3): ἡμῖν δ' ἐκεῖνο διαπορητέον ἐν ἀρχῇ, εἰ ἔστιν ὕψους τις ἢ βάθους τέχνη. ἐπεί τινες ὅλως οἴονται διηπατῆσθαι τοὺς τὰ τοιαῦτα ἀγοντας εἰς τεχνικὰ παραγγέλματα. γεννᾶται γάρ, φησί, τὸ μεγαλοφυῆ καὶ οὐ διδακτὰ παραγίνεται καὶ μία τέχνη πρὸς αὐτὰ τὰ πεφυκέναι. χείρω τε τὰ φυσικὰ ἔργα, ὡς οἴονται, καὶ τῷ παντὶ δειλότερα καθίσταται ταῖς τεχνολογίαις κατασκελετευόμενα. Quam sententiam secutus fieri non potuit, quin Caecilius omnia removeret, quae artis quandam speciem ostenderent: satis igitur habuit exemplis accurate demonstrasse, quae esset natura sublimitatis et consulto omisit illud, quod alteram disputationis partem esse desideravit Pseudolonginus, qua quidem doceret, quo modo et quibus rationibus sublimitatem nobis acquirere possemus, genuinam sublimitatem neque ullis praeceptis discendam esse professus.[1])

vidit verba illa: τίς ἦν ἡ κατὰ φύσιν χρῆσις alludore ad Caecilii figurae priorem definitionem: σχῆμά ἐστι τροπὴ εἰς τὸ μὴ κατὰ φύσιν κ. τ. λ.; neque vero Caecilii figurarum definitionem sed quae in libello π. ὕψους ediderat verba Pseudolongino ante oculos obversata esse puto. Sic enim locum interpretor. Praedicaverat Caecilius genuinam eloquentiam sublimitatis gravissimum auctorem: quae si ad res accederet natura grandes atque sublimes (τὸ μεγαλοφυές) secutura esse sponte vehementes affectus, insignia verba, figurarum ornamenta illustria (cf. de Antiph. iud.). Cuius rei Demosthenis celeberrimam illam iurandi formulam exemplum attulit, non quam schema esse doceret arte domi compositum, sed in quam sponte flumen eloquentiae incideret, occasione oblata cum animus oratoris gravissime esset incitatus.

[1]) Caecilius qua sententia ductus libellum π. ὕψους confecisset, postquam supra exposui, iam quo iure inter philologa scripta atque inter ea quidem, quae spectent ad θεωρίαν, rettulerim satis, puto, elucet. Quodcum Martensii opinionem recipere non dubitem, facere non possum, quin refutare studeam Brzoskae opinionem, qui „Artem" fuisse Caecilii libellum putat ita argumentatus l. l. p. 27. n. 1: „praeterquam quod ubique Caecilium arti summam vim tribuisse ad orationem conformandem observamus procul dubio sublimitatis artem eum agnovisse e capite primo Ps. Longini dilucide evadit. Nam τεχνολογίαν Caecilii π. ὕψους συγγραμμάτιον fuisse aperte significat Pseudolonginus; qui, si tale quale voluit Martens

Iam vero Caecilium ad similem fere artis praeceptorum contemptionem ac despicientiam pervenisse apparet atque Dionysium, quem et ipsum technographorum opera parvi aestimasse supra diximus, nisi quod illum in hac quoque re

inter ipsum et Caecilium intercessisset discrimen, vehementer adversarium c. I. carpsisset, in quo tamen id unum reprehendit, quod eius libellus *ταπεινότερος τῆς ὅλης ὑποθέσεως* h. e. imperfectus nec prorsus absolutus fuit; ceteroqui cum eius hypothesi consentire videtur eumque *αὐτῆς τῆς ἐπινοίας καὶ σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν* putat." Atque ut eodem ordine, quo apposuit Brzoska, causas refellam, prorsus nego *τεχνολογίαν* fuisse Caecilii libellum. Debuit esse technologia ex Pseudolongini sententia, at non fuit, cum quae summam efficerent technologiae, ipsa praecepta a Caecilio essent omissa: *εἰ γὰρ ἐπὶ πάσης τεχνολογίας δυεῖν ἀπαιτουμένων, προτέρου μὲν τοῦ δεῖξαι, τί τὸ ὑποκείμενον, δευτέρου δὲ τῇ τάξει, τῇ δυνάμει δὲ κυριωτέρου, πῶς ἂν ἡμῖν τοῦτο καὶ δι' ὧν νινων μεθόδων κτητὸν γένοιτο, ὅμως ὁ Κεκίλιος ποῖον μέν τι ὑπάρχει τὸ ὑψηλὸν διὰ μυρίων ὅσων ὡς ἀγνοοῦσι πειρᾶται δεικνύναι, τὸ δὲ δι' ὅτου τρόπου τὰς ἑαυτῶν φύσεις προάγειν ἰσχύομεν ἄν εἰς ποσὴν μεγέθους ἐπίδοσιν οὐκ οἶδ ὅπως ὡς οὐκ ἀναγκαῖον παρέλιπεν.* Quid vero? Pseudolonginus num id unum reprehendit, quod Caecilii libellus sit *ταπεινότερος τῆς ὅλης ὑποθέσεως*? Quae verba sane equidem paulo aliter conversa velim atque Brzoska vertit neque eam ob rem puto Caecilii libellum a. Pslongino esse vituperatum, quod fuisset „imperfectus nec prorsus absolutus" sed quia impar fuisset totius materiae magnitudini complectendae. Quibus verbis cum Pslonginus non ita mediocriter adversarii ingenio mihi videatur obtrectavisse, opprobria addit cuivis scriptori profecto gravissima, cum diceret caput materiae omnino non attigisse Caecilium neque multum utilitatis attulisse eis, qui opusculum legerent. (*ταπεινότερον ἐφάνη . . . καὶ ἥκιστα τῶν καιρίων ἐφαπτόμενον οὐ πολλήν τε ὠφέλειαν, ἧς μάλιστα δεῖ στοχάζεσθαι τὸν γράφοντα, περιποιοῦν τοῖς ἐντυγχάνουσι κ. τ. λ.*) Caecilii igitur libellum postquam acriter reprehendit, cum pergat dicere: *πλὴν ἴσως τοντονὶ τὸν ἄνδρα οὐχ οὕτως αἰτιᾶσθαι τῶν ἐκλελειμμένων ὡς αὐτῆς τῆς ἐπινοίας καὶ σπουδῆς ἄξιον ἐπαινεῖν,* quis est, quin acerbissimam ironiam his verbis efflari sentiat? Verum id ex Pslongini vituperatione satis elucet Caecilium idcirca praecepta sublimitatis non dedisse, quia inutilia esse putaret (*ὡς οὐκ ἀναγκαῖον παρέλιπεν*): quae cum ita sint non dubito, quin verba cap. 2. illa: *γεννᾶται γάρ, φησί, τὰ μεγαλοφυῆ καὶ οὐ διδακτὰ παραγίνεται κ. τ. λ.* ad Caecilium referenda sint. Nam explicant qua ratione ductus omiserit Caecilius perquirere „*δι' ὧν τινων μεθόδων κτητὸν γένοιτο* (sc. *τὸ ὕψος*.) Quare supplendum est ad verbum *φησί* nomen Caecilii; neque *φησί* pro *φασί* accipiendum neque in *φασί* mutandum est. cf. Martens. l. l. p. 10.

ultra modici iudicii fines provectum esse statuendum erit, cum arte eloquentiam genuinam coli atque augeri prorsus negaret. Dionysius autem iusta et moderata iudicandi ratione usus sanam artis exercitationem haudquaquam sprevisse videtur, cum Demosthenem laudaret, cuius in orationibus simul conspiceretur ἡ φύσις δημιουργὸς καὶ αἱ τέχναι μητέρες (de Dem. c. 47. p. 1100). Quod si meminerimus eundem scriptorem, quem in libello π. ὕψους videmus artis praecepta acriter impugnantem, conscripsisse libros, quibus praecepta artis vel subtilissima diligenter tractaret et excoleret, iam illustri exemplo nobis videmur demonstrasse Caecilii vitae duo temporis spatia dimetienda esse studiorum prorsus contrariorum terminis acriter inter se discreta. Neque enim medii quidquam apparet, quod tanquam vinculum utriusque doctrinae discrimina conectat et patefaciat, qua ratione sensim progressus ex altera ad alteram disciplinam pervenerit: immo cognoscitur altera ex parte nulla pulchritudinis dicendi ratione habita rerum technicarum studium aridissimum et ad unguem, ut ita dicam, exprimens Apollodoream subtilitatem; altera autem ex parte occurrunt studia aesthetica et ipsa in affectationem fere exculta, ab artis praeceptis plane aversa. Quare mihi quidem non dubium esse videtur, quin magno quodam et alieno impulsu ex altera disciplina ad alteram Caecilius abreptus sit: cuius impetus auctorem cum inter Caecilii aequales quaererem, neminem inveni nisi Dionysium Halicarnassensem.

Restat, ut paucis verbis disseram de Caecilii scriptis lexicographis. Atque duo quidem apud Suidam nominantur tituli: ἐκλογὴ λέξεως κατὰ στοιχεῖον et περὶ τῶν καθ' ἱστορίαν ἢ παρ' ἱστορίαν εἰρημένων τοῖς ῥήτορσι; quos libros qua ratione ductus Caecilius scripserit et quo modo instruxerit, non tam ex quattuor illis fragmentis perspicias Caecilii nomini adscriptis[1]) quam ex vestigiis eorum, quae in aliis lexicis apparent dispersa auctoris nomine non apposito. Nam non modo Harpocration Caecilii glossas respexisse videtur, sed etiam Suidas et quarti quintique lexici Segueriani auctores multas glossas ex libris Caecilianis desumpserunt.

[1]) Burckh. frgg. 25—28.

Quarum postquam multa fragmenta detexit Boysenus[1]) iam satis cognoscere possumus id rhetorem nostrum egisse, ut quae aetate sua decem oratorum minus essent nota (sive voces erant illis propriae vel insolita significatione usitatae sive antiquitates et verba ad usum forensem pertinentia) accurate enarraret et illustraret. [2]) Nam solos decem oratores sibi explicandos eum in hoc lexico proposuisse manifestum est: quodcum lexicon illud ea ratione a Caecilio conditum esse putandum sit, ut facilius intellegerentur eidem oratores, quorum studium in commentariis laudaverat, non audacius nobis conicere videmur lexicon illud demum post libros illos de decem oratoribus editos pervulgatosque ab eo esse confectum. Dionysium autem cum Caecilii commentarios de decem oratoribus non novisse supra comprobare conati simus, multo magis lexicon Caecilianum eum ignorasse putabimus. Cui sententiae obstat Wilamowitzii opinio, qua aesthetica studia, Caecilii videlicet, in epistula altera ad Ammaeum scripta Dionysium respexisse contendit. [3]) Sed quo iure vir doctus hanc sententiam protulerit, accuratius iam perquiramus.

Dionysius, postquam in libello Aelio Tuberoni inscripto copiose de Thucydide disseruit, familiari Ammaeo postulante eandem materiem iterum tractandam et exemplis pluribus ornandam suscepit *„τὸ διδασκαλικὸν σχῆμα λαβὼν ἀντὶ τοῦ ἐπιδεικτικοῦ.“* Ac primum quidem quod in priore libro (c. 24.) Thucydidis dictionem vituperaverat, quia verba captasset obscuriora et obsoleta, exemplis comprobare studet ita, c. 3. p. 783: *„Γλωσσηματικὰ μὲν οὖν καὶ ἀπηρχαιωμένα καὶ δυσείκαστα τοῖς πολλοῖς ἐστι τό τε „ἀκραιφνές“ καὶ ὁ „περιλογισμός“ καὶ ἡ „περιωπή“ καὶ ἡ „ἀνακωχή“ καὶ τὰ ὅμοια τούτοις. Ποιητικὰ δὲ ἡ „καλύμη“ καὶ ἡ „καταβολή“ καὶ ἡ „ἀχθηδών“ καὶ ἡ „δικαίωσις“ καὶ παραπλήσια“.* Equidem cur has glossas e lexico Caecilii iam ante se composito Dionysium deprompsisse ac non

[1]) Boysen, de Harpocrationis lexici fontibus quaestiones selectae Kiliae 1876.

[2]) Boysen, l. l. p. 25.

[3]) v. p. 3.

ipsum collegisse putandum sit, non video. Nam diligentissime eum Thucydidem perlegisse, cum ex maiore scriptione, quam de Thucydide composuit, tum ex singulis quae praeter glossas istas de Thucydidis structura syntactica, de enthymematis, de figuris adnotavit exemplis dilucide apparet. Quin etiam ipsarum glossarum ordine ad eam sententiam perducimur, ut ab ipso Dionysio collectas esse eas putemus. Nam Caecilii quidem lexicon glossarum *κατὰ στοιχεῖον* adornatum fuisse scimus: quo si usus esset Dionysius, qua ratione ductum elementorum ordinem in ponendis glossis eum turbasseputabimus? Sed in ipsas glossas inquirentes statuamus, quibus locis historiae Thucydideae inveniantur: iam videbimus exstare illas omnes in Thucydidis libro primo et in libri secundi duobus capitibus;[1]) quae cum ita sint, crederes iure Dionysium volventem Thucydidis historiam, ut exempla sibi pararet, satis habuisse eas adnotare glossas, quae in libro I. et II. celeriter sibi perlegenti occurrissent. Cui argumento, quamquam mihi quidem satis grave esse videtur, ut Dionysium non alius scriptoris delectu, sed ipsius adnotationibus usum esse censeam, tamen siqui minus fidem habeant, ponamus aliena scripta eum excerpsisse, — quid? eodem iure atque Caecilium nonne quemlibet alium hominem glossarii eiusmodi Thucydidei auctorem fuisse licebit putare? Nam multo ante Dionysii Romam adventum floruisse ibi sectam quandam Thucydideorum e Ciceronis testimoniis elucet;[2]) qui cum exprimere studerent Thucydidis dicendi genus, maxime autem vitia eius imitarentur, quin glossas illas a Dionysio vitupe-

[1]) *ἀκραιφνής* I, 19, I, 52; *ἀνακωχή* I, 40, I, 66; *κωλύμη* I, 92; *δικαίωσις* I, 141; *περιωπή* II, 35; *ἀχθηδών* II, 37. Pro *καταβολή* quod verbum poetico more apud Thucydidem usurpatum non invenitur proposuit Sylb. *καταβοή* I, 73; verborum *περιλογισμός* vel *ἐπιλογισμός* neutrum in nostris histor. Thucyd. exemptaribus invenitur.

[2]) Cic. orat. § 30: Ecce autem aliqui se Thucydideos esse profitentur, novum quoddam et inauditum genus. et q. s. ib. § 32: Huius tamen nemo neque verborum neque sententiarum graivtatem imitatur, sed cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas. ef. § 171. Dion. de Thuc. c. 1. p. 811.

ratas diligenter collegerint, quibus antiquam sibi colorem pararent,[1]) non dubium esse videtur. Neque a grammaticorum munere abhorruisse studium colligendi et explicandi glossas Thucydideas consentaneum est, cum Dionysius ipse testetur multa, quae in Thucydide inveniantur, egere interpretatione grammatica.[2]) Nihil igitur habemus, quod Caecilio nominatim ac non ipsi Dionysio vel cuivis grammatico glossarum illum delectum adscribamus, neque vero inde de „aestheticis" Caecilii studiis coniecturam faciamus; quin etiam omnino opera eius aesthetica eis temporibus, quibus Dionysius scripsit secundam ad Ammaeum epistulam, nondum in publicum prolata esse satis certo argumento me comprobaturum esse arbitror. Neque enim, si illis temporibus ullam sibi paravicset auctoritatem atque in honore fuissent iudicia eius aesthetica et critica, fieri potuit, quin similiter iam de Thucydidis oratione contorta et obscura iudicavisset atque post ipsum Dionysius: quod si factum esset in Caecilium iam pridem incidisset invidia adversariorum, quam quasi prorsus nova molituro sibi metuit Dionysius.[3])

---

[1]) Dion. de Thuc. c. 50 p. 939: *ἐπιχειροῦσι δέ τινες οὐκ ἄδοξοι σοφισταὶ λέγειντ, ὅτι τοῖς μὲν πρὸς τὰς ὀχλικὰς ἐντεύξεις παρεσκευασμένοις καὶ τὰ δίκαια λέγουσιν οὐκ ἐστιν ἐπιτήδειος οὗτος ὁ χαρακτήρ. τοῖς δὲ τὰς ἱστορικὰς πραγματείας ἐκφέρουσιν, αἷς μεγαλοπρεπείας τε δεῖ καὶ σεμνολογίας καὶ καταπλήξεως παντὸς μάλιστα προσήκει ταύτην ἀσκεῖν τὴν φράσιν τὴν γλωττηματικήν τε καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ τροπικὴν κ. τ. λ.* Ceterum Dionys. consulto putat Thucydidem sibi parasse obscuram et difficilem dictionem eosque impugnat, qui Thucydidis dicendi genus aetate illa, quo vixit vir historicus, vulgari usu tritissimum fuisse dicant. cf. ib. c. 50. 51. p. 939 sq.

[2]) de Thuc. c. 51. p. 940. *εὐαρίθμητοι γάρ τινες εἰσὶν οἱ πάντα τὰ Θουκυδίδου συμβαλεῖν δυνάμενοι καὶ οὐδ' οὗτοι χωρὶς ἐξηγήσεως γραμματικῆς ἔνια.* Similiter de Lys. c. 4. p. 461.

[3]) Thuc. c. 2 p. 812. *ὑποπτεύω γὰρ ἔσεσθαί τινας τῶν ἀναγνωσομένων τὴν γραφὴν, τοὺς ἐπιτιμήσοντας ἡμῖν, ὅτι τολμῶμεν ἀποφαίνειν Θουκυδίδην τὸν ἁπάντων κράτιστον τῶν ἱστοριογράφων, καὶ κατὰ τὴν προαίρεσίν ποτε τῶν λόγων ἁμαρτάνοντα καὶ κατὰ τὴν δύναμιν ἐξασθενοῦντα, καὶ οὐδ' οὕτος ἡμᾶς ὁ λογισμὸς εἰσῆλθεν, ὅτι παράδοξα καινοτομεῖν πράγματα πρῶτος καί μόνος δόξομεν, εἴ τι τῶν ὑπὸ Θουκυδίδου γραφέντων συκοφαντεῖν ἐπιβαλλοίμεθα κ. τ. λ.* Similis quae sequitur est defensio: e qua satis elucet primum Dionysium

Caecilii igitur studiorum reliquias contemplati quoniam ad eandem illam sententiam semper reducimur, qua Caecilium Dionysio aetate minorem fuisse diximus, non iam dubitabimus exculti et perfecti Atticismi palmam tribuere Dionysio Halicarnassensi. Caecilium autem non nisi secundas partes in eloquentia renovanda egisse statuemus, cum non annis solum sed etiam indole et ingenio eum aequali inferiorem fuisse satis pateat. Neque enim opus fuit ipsius Dionysii testimoniis, quibus se iudicia de oratoribus et de Demosthene tanquam nova et inaudita proferre confirmat: ex ipsa illa studiorum commutatione apparere videtur pusillam fuisse Caecilii indolem neque eam, quae sua vi optimam eloquentiae renovandae rationem in imitatione Atticorum positam esse intellegeret, sed quae satis haberet studia ab aliis viris inchoata et tradita recipere, retractare, consummare. Nam deerant vires nova et maiora moliendi neque effugit gravissimam Plutarchi vituperationem, cum dificile munus suscepisset comparandi inter se Ciceronem et Demosthenem;[1]) deerant vigor et alacritas illa animi vitae et fori usum respiciens, sed aliena a docta ostentatione, quibus virtutibus late propagasse studia Atticismi Dionysium ex scriptis dilucide apparet;[2]) deerant ingenii opes, quibus fretus exemplum constitueret doctrinae placita

---

vituperasse Thucydidem neque Caecilium neque alium quendam antea. Nam quae Cicero protulit or. 30 sq. non tam in Thucydidem quam in eos dicta sunt, qui dicendi genus ad res enarrandas aptissimum ad forensem usum et publicum transferre studerent; in historiis vero scribendis Thucydidis laudes non tangit. (cf. § 91: „at laudatus est ab omnibus.“ „fateor sed ita, ut rerum explicator prudens, severus, gravis; numquam est numeratus orator.“)

[1]) Plut. vit. Dem. c. 3; p. 32 Burckh. . . . *περὶ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος ἀπὸ τῶν πράξεων καὶ τῶν πολιτειῶν τὰς φύσεις αὐτῶν καὶ τὰς διαθέσεις ἐπισκεψόμεθα, τὸ δὲ τοὺς λόγους ἀντεξετάζειν καὶ ἀποφαίνεσθαι πότερος ἡδίων ἢ δεινότερος εἰπεῖν ἐάσομεν. Κἀκεῖ γὰρ, ὥς φησιν ὁ Ἴων, δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία: ἦν ὁ περιττὸς ἐν ἅπασι Καικίλιος ἀγνοήσας ἐνανιεύσατο σύγκρισιν τοῦ Δημοσθένους καὶ Κικέρωνος ἐξενεγκεῖν. Ἀλλὰ γὰρ ἴσως εἰ παντὸς ἦν τὸ Γνῶθι σεαυτὸν ἔχειν πρόχειρον, οὐκ ἂν ἐδόκει πρόσταγμα θεῖον εἶναι.*

[2]) cf. Schmid, Atticismus, p. 24.

exprimens, quale Dionysii fuit archaeologia;[1]) — nam Caecilii historiam quae inscribitur „de bellis servilibus in Sicilia gestis“ ad altiora non adspirasse ipso materiae delectu comprobatur.

Verum tamen caveamus, ne nimis inique iudicantes summam laudem cumulemus in Dionysium ac prae eo Caecilii beneficiis immerito obtrectemus. Nam etiam in Dionysii studiis diiudicandis semper illud tenebimus non nova eum procreasse Atticorum studia, sed iam invenisse Romae florentem antiquorum scriptorum imitationem, hoc vero proprium eius fuisse diximus, quod studia singulorum in singulos auctores dissipata ad unum finem colligeret diligenterque et ingeniose illustraret (v. p. 17. sq.). Sed cum ingenii natura atque indole ad multos ferretur et quam latissimos in propagando Atticismo sibi constitueret terminos, Caecilium habuisse videtur haud contemnendum adiutorem, utpote qui eadem studia, quae passim profundebat Dionysius, accurate repetens in animis eorum confirmaret, qui disciplinae suae interessent. Nam ad magistri vel praeceptoris officia suscipienda Caecilii maxime tendebat animus; ad paedagogi munus instructus erat cum ipsa indole tum Apollodorea illa disciplina; paedagogi denique partes assidue tuebatur, postquam Dionysii exemplum secutus Atticis studiis se dedit, id quod testantur canonis atque lexici auctoritates. At in ipsa haec Atticorum studia cum transferret severum illud atque accuratum docendi et quaerendi genus, quo in Apollodori scholis uti consueverat, non modo ipse eo pervenit, ut Dionysii iudicia hic illic minus acria corrigeret quaestionesque non nullas in firmiore collocaret fundamento, sed etiam posteris rhetoribus viam ostendit et rationem, qua Atticismum optime colere et in animis discipulorum confirmare possent. Quare quamquam non ita ingenii valuit Caecilius, ut in eo honoris et auctoritatis gradu, quod voluit Wilamowitzius, iure poni possit, tamen quod in angustioribus suis ludorum circulis magna cum cura et diligentia Atticismi amorem excitavit, conservavit, auxit, optime meruisse putandus est.

[1]) Blass. Griech. Ber. p. 195. Rohde, Rh. Mus. 41 p. 190. Schmid, Atticism. p. 19.

Fehler-Verbesserung: S. 8 Anm. 3, Zeile 6 v. u.: „ind. 1887“ statt 1877.

Vita.

Natus sum Ricardus Weise a. d. IV. Kal. Sept. a. h. s. LXIV. Flamershemii, Rhenaniae in viculo, patre Gustavo, matre Maria e gente Hermann, quos adhuc superstites esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Litterarum primordiis ab ipso patre imbutus per sex annos gymnasium frequentavi Vesaliense, unde maturitatis testimonium postquam adeptus sum anno LXXXIII, primum quidem ad Lipsiensem me contuli litterarum universitatem ibique per anni spatium scholis interfui G. Curtii, Langii, Lipsii, Brugmanni, aliorum. Inde autem petii universitatem Tubingensem, ubi scholas audivi Rohdei, Flachii, Sigwarti, Strauchii, studiorum sane non ita magno cum fructu, cum plurimum anni temporis, maximeque aestatis militiae officio consumeretur. Quo munere absoluto Berolinum profectus iam assiduis me dedi studiis imprimis philologis. Scholis interfui virorum clarissimorum Kirchhoffii, Dielsii, Huebneri, Vahleni, E. Curtii, Maassii, Schereri, Roedigeri, Schroederi, E. Schmidtii, Zelleri, Paulseni.

Lipsiis exercitationibus philologis interfui H. Lipsii proseminarii sodalis. Berolini primo ad Maassii exercitationes receptus sum; deinde Dielsii benevolentia factum est, ut societatis eius philol. per bis sex menses essem sodalis. Praeterea ut interessem exercitationibus benigne concesserunt archaeologis Robertus, theotiscis Schroederus, Roedigerus, Schmidtius.

Quibus omnibus viris optime de me meritis, imprimis Dielsio, qui disciplina et consilio maxime studia mea adiuvit, gratias ago semperque habebo quam maximas.

Sententiae controversae.

I. In Hermogenis progymnasmatis II. p. 8,9 Sp. verba „*κατὰ τὸ ἐνθύμημα*“ Finckhii sententiam secutus delenda esse censeo.

II. In Lycurgi Leocrateae § 65. pro librorum scriptura: „*εἶργον τῶν νόμων*“ in contextum recepta a Carolo Scheibio (Lps. 1885) coniecturam praefero Stephani et Bekkeri „*εἶργον τῶν νομίμων.*“

III. Apud Xenophontem verba, quae inveniuntur in oratione Critiae contra Theramenem habita (Hist. gr. II, 2, 31): „*καὶ γὰρ κόθορνος ἁρμόττειν μὲν τοῖς ποσὶν ἀμφοτέροις δοκεῖ, ἀποβλέπει δὲ ἀπ' ἀμφοτέρων*“ glossema esse iudico.

IV. Poematis germanici XII. saeculi, quod inscribitur „Entecrist“ (ed. Hoffmann, Fundgruben II. 106—134.) versus pag. 121, 1,2:

„wie sie ligin dri dage
vñ ein halbin o b e d e r e r d e

ita restituendi esse videntur, ut in finibus assonantia fiat vocalium hoc fere modo:

„wie sie ligin dri dage
vñ ein halbin v n b e g r a b i n.

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF CALIFORNIA

Typis expressit Zahn & Baendel, Kirchhainii, Lusatiae.

751hr
W42

196313

[redacted]
YB 00207

Weise. Quaestiones Caecilianae.

Weise
196313